EM. SWEDENBORGII,

OLIM REGNI SUECIAE COLLEGII METALLICI ASSESSORIS, ET
PLURIUM ACADEMIARUM MEMBRI,

ITINERARIUM.

EX OPERIBUS

EJUS POSTHUMIS IN MUSEO ACADEMIAE
REGIAE HOLMIENSIS ASSERVATIS

NUNC PRIMUM EDIDIT

D[r] JO. FR. IM. TAFEL,

BIBLIOTHECARIUS REGIAE UNIVERSITATIS TUBINGENSIS.

SECTIO PRIMA,

CONTINENS PARTEM LATINE SCRIPTAM.

TUBINGAE
IN BIBLIOPOLIO ZU-GUTTENBERG.
1840.

1733.

[MSC. Pag. 8. ss.]

Die 10. Mai anno 1733 cum Divino auspicio et permissione Regis augustissimi Friderici I iter ad Germaniam seu ad extera, tertia vice aggressus, et Stockholmiae profectus comitantibus me amicis Comite Friederico Gyllenborg, Barone Davide Stjerncrona ejusque propinquis, Domino Gallo et aliis pluribus ad diversorium, Fittia nominatum, perveni, et dein una cum affini meo Laurentio Benzelstjerna et ejus uxore Lincopia usque perveni, et durante festo Pentecosti hospitium penes Episcopum Ericum Benzelium etiam affinitate mihi junctum, cepimus, et in urbe illa cathedrali 4 dies festos celebravimus.

D. 13. 14. 15. 16. Mai.) Celebravimus in urbe Lincopiensi festum Pentecostes, ut dictum est; interea lustravimus campum, ubi pugna, seu Stångebro-slag anno 1698 inter Sigismundum, regem Poloniae, et Carolum IX. ducem, sed postea regem Sueciae electum, commissa est, ubi victoria Carolo contra regem cesserat; pugna, a posteris celebranda, qua simul depraeliatum esse videtur de fatis religionis, quaenam in Suecia vigeret. Si ad partes Sigismundi cessisset, fortassis incolae Septentrionis hujus hodie Pontificianae religioni addicti fuissent; sed Deo aliter visum est.

D. 15. Mai.) Oblectamenti gratia ad Palatium, Sturefors dictum, aque urbe Lincopia 1 milliare distans grande, a Comite Piper exstructum, jamque ejus viduae proprium, secessimus et lustravimus. Maxime conspicua ibi sunt picturae, a defuncto famigeratissimo Ehrenstrahl confectae; sunt etiam interioris domus orna-

menta plura conspicua, sed commendatissimum reddit ipsemet situs palatium hoc, qui amoenissimus est, et animum exhilarare et diffundere aptus potensque, oculum meum longissime per lacus, fluvios, prata et agros in sylvam ducit.

Die 17. Mai.) Affinibus meis et sorore valedictis recta Sconiam et Ystadiam petii, et modo binas urbes transgressus sum, Grennam nimirum et Innecopiam.

19. Mai.) Sconiam relictâ Smalandiâ tetigi, ubi propter climatis et altitudinis polaris aliqualem differentiam varius non modo aër, sed etiam varium a priori solum excepit; magnum enim planum, nec ita montibus et collibus distractum et inaequale, et solum magno arenario gaudere visum est. Terra in sylvis non fertilis et prona; pinus, abies et betula oculis paulatim eripi visae sunt, et proprias terrae et soli arbores loco illam dedisse [?]. Hoc tantum relatu dignum occurrere mihi visum est, quod ipsa necessitas et sylvarum defectus gentem illam adegerit, ut limites suos alio genere sepimentorum distinguerent et tutarentur, quam in Suecia; sepes illis partim de saxo, partim de ramis et frondibus arborum complicatis, partim de radicibus, partim de utroque factas observare licet, quae bene admodum muniunt, et melius, quam in Suecia, distinguunt illorum dominia. Quae de saxo, modo vulgari exstructae sunt; quae de frondibus, stipites et baculi ad distantiam 2 pedum terra infiguntur, et inter illos dicti rami serpentino modo convolvuntur et flectuntur, qui sic omnes stipites, terrae infixos, sincere complectuntur et conjungunt; intermissa sunt ad distantiam quarumlibet 4 ad 6 ulnarum fulcra lignea, quae obliquo sepi adposita terraque infixa, ne vento dejiciantur sepes cavent.

22. Mai.) Ystadiam perveni, et navem paratam, sed ventum, in vela sua secundum, exspectantem, inveni.

24. 25. Mai.) Stralsundiam perveni, comitante ab Ystadia Stralsundiam usque Comite Isendorf, et magistro quodam musices, Kellero, Italo.

Die sequenti urbem, muros et vallationes visendi

gratia circumambulavi, pariter ut vestigia obsidionis et oppugnationis anni 1715 sub rege Carolo XII annotarem; adi portam, Knipendohr nominatam, ad quam oppugnandam hostiles turmae triumque Regum exercitus omnem operam roburque diu perdiderant; est aggeribus, propugnaculis, fossisque crebris munitissima. Veni ad portam, Tripterdohr nominatam, ubi prope ripam alluentium aquarum noctis tempore munimina, longius ab urbe extensa, praetergressi hostes propugnacula et munita jamdum loca noctis tempore subiere, et inter militem Suecicum et munimina propiora urbis subiere, et ab introitu in urbem annuere. Videre etiam mihi contigit, ubi domicilium Regis fuerit. Tria etiam templa majora urbis lustravi, maxima, insigne Sti Nicolai prope curiam. Dein St. Mariae, magnitudine priori nullatenus cedens, tum St. Jacobi; sunt praeterea 4 templa minora; in primo St. Nicolai celeber et maxime conspicuus est locus pro baptismo, altari appensae sculpturae novae, et sedilia sub tecto totam aedem intus obeuntia.

26. Mai.) Exspectans postam nihil agendo consumsi diem.

27. Mai.) Stralsundiae in Grypsvalliam, et inde in citeriorem Pomeraniam seu Anclamum urbem, paulo munitam, et hodie Regi Brandenburgico subjectam, profectus sum. In via nihil notatu dignum occurrit; terra a Grypsvallia Anclamum usque planissima et campestris est; ripae et aquae fluentes, quercetis et ilicibus pulcherrimis ubivis obsitae et decoratae, unde etiam copia quercicarum arborum ut ex Regione, urbi Stetino propiore in oras exteras in usum navium construendarum transmittitur. — Anclami primum videre mihi licuit militem Brandenburgicum, et quidem illos, qui Granadiers vocantur; omnes procero, longo, rectoque corpore incedunt, capite gestantes pileos, in conum desinentes, et multo orichalco, in nomina et figuras secto, insignitos et conspicuos: praeterea sago, seu institâ curtâque veste circa medium femur desinenti, induti. Femoralia sunt membris corporis inferioris justissime aptata, ut ne ruga

quidem, e laxitate oriunda ullum naevum celare possit, quin primo intuitu liceat judicare, qualis partium harmonia sit. Tibialia etiam a femoralibus apte usque ad calceos colligata, tibia comprimunt. Exercitia, seu munia militaria promptissime et uniformiter, nisi fortasse etiam parumper histrionice expediunt. Stat acies tam corpore, quam aetate simillima, unicuique facies recta, caput ornatissimum, pedes, brachia et reliqua membra minime onusta et ligata, quin prompte hostem aggredi, pariter in fugam se proripere possint, ita accincti, ut ad utramque fortunam habiles sint. Splendorem et magnificentiam in milite suo discupere videtur Rex, sed usque luxuriem ita restringit et resecat, ut signa tenacitatis appareant.

28. 29. Mai.) Friedlandiam, ditionis Megaloburgensis urbem, perveni; sylvae pulcherrimis quercubus in via; regio, frumento et anseribus fertilissima. — Dein ad Neubrandenburg; utraque urbs non magnitudine, vallis aut aedificiis clara; hortulanis illorum deliciis mihi frui contigit; etiam ludum eorum annuum intuitus sum, quomodo scilicet in honorem Regis explosionibus quotannis semet exerceant; quique metam et punctum collimando et explodendo contigit, Rex creatur, et per annum immunis, omnisque tributi expers redditur, et anno sequenti ante Sclopetariorum turbam primus cum insignibus quibusdam argenteis in novum ludum, novamque scenam procedit. Abundat copiâ optimi lupuli, Brunsvicensem aequantis, unde in Sueciam melior pars exportata est; hodie, quia prohibitum est, exigui admodum pretii habetur.

30. Mai.) Ad vetus Strelitzium veni. Dimidio milliari abinde distat novum Strelitzium, a novo duce conditum; exstruiturque hodie novum palatium, et sedes ducis statuitur. Quod alias ducatum Megaloburgicum, et familiam ducum ejus attinet, regio Megaloburgica olim in 3 ducatus divisa est; dein in unum haeredem coaluit, qui hodie Sverini vivit. Ille sui uxorem duxerat, primam, quae cum familia Caesarea et Branden-

burgica affinitate conjuncta fuit; alteram, quae cum Caesare Russorum, quaeque hodie cum filia sua Petersburgi penes sororem, Imperium Russicum hodie tenentem, vivit; Filia a Caesarea Majestate ita dilecta est, ut imperio Russico haeres designata sit; utraque, tam mater, quam filia, ad maritum seu patrem suum redire recusant. Dux hodie Sverini fere sine imperio, et maritus sine uxore vivit; administratorem quendam etiam oppositum a Caesare iri credunt. Nobiles, quia jura et privilegia illorum integra servare noluisset, sortem illius voverant, et annuente Caesare ab imperio semotus, et filius [patrui] ducatus etiam haeres, loco ejus surrogatus est, hodieque Novi Strelitzii vivit. Per tot casus et infortunia, per tot Caesaris utriusque monita et hortatus, perque diversissima et inauspicatissima fata, quae omnem spem ulterioris fortunae ei surripere visa sunt, ad meliorem mentem, et in meliora consilia intra spatium 13 annorum ad hoc usque tempus tamen redigi non potuit, mavult exul et orbatus imperio vivere, quam de sententia unguem decedere: mores, ex natura oriundi, per infortunia, et per longam seriem fati sinistri vexati, expelli nequeunt, sique expellerentur, usque tamen recurrerent. Megaloburgum est alias regio nobilissima, nobilibus quia abundat, optarent, ut similiter opibus. Nomen ducis Swerini est Carolus Leopold; filius patrui ejus, Strelitzii vivens, vocatur Frederic Adolph.

Juni 1.) Quum unum diem, et binas noctes Strelitzii commoratus sim, inde ad urbem Fürstenberg iter perfeci, inde ad urbem Zedenicum, ditionis Brandenburgensis, est urbs, praememoratis aliquantum ornatior, ubi etiam pernoctavi.

Juni 2.) Quum Berlinum tenderem, ad stationem primam, seu Oranienburg, perveni; oculis se ibi sistit palatium Oranienburg, a Patre Regis, hodie sceptrum tenentis, exstructum; illustre, quod per campum, late patentem in sylvas pulcherrimas, abietibus et quercubus confectas, et quasi in coronae formam circumquaque ad aequalem abinde distantiam consitas, visum extendere li-

ceat. In medio est ipsum atrium, quod duo brachia, utrinque educta, quasi complectuntur et includunt. Qua urbem respicit, seu ubi introitus patet, est murus statuis insignitus; ab altera vero parte, seu qua planitiem et sylvam spectat, sunt ibi valvae biflores, seu portae, tam versus campum et regionem sylvestrem, quam versus palatium patentes, et quia duplicato ordine exstructae sunt, intus est porticus, ubi ambulare licet, et oculis tam campum, quam ipsum atrium metiri; sed hodie est hoc vacuum, et inhabitatum. Inde Berlinum tetendi, in via adhuc binas domus campestres regias videre licuit.

Tandem Berlinum perveni; urbem solus primum permeavi, ut oculis exciperem, quodcunque primus et peregrinus intuitus offerre solet; videre mihi primum contigit in ponte, qui ducit ad Regiam, seu ad Palatium Regium, statuam pure cupream seu metallicam anno 1703 a Rege Guilielmo exstructam, pondere, magnitudine et arte illustrissimam, et contemplatu dignissimam; ipse Rex Borussiae primus, magnus, equo etiam magno insidet; ad angulum quemcunque sedent quatuor viri, seu potius gigantes, bis vel ter viros magnitudine superantes, tristes, lugubres, et ore illaetabiles, aeneis catenis vincti, sed alias aere et pondere suo satis graves et immobiles; opus sane aere dignissimum.

Ipsa domus Regia est magnificentissima, opus magni pretii, amplitudine et altitudine palatia multorum Regum superans. Ab uno ejus latere est campus, seu forum militare, locus 20 vel 30 mille equitum et peditum capax, et domo regia illorum exercitia et munia militaria conspicere licet; descriptionem hujus palatii supersedeo, multas enim paginas repleret, quum pictor in una melius ad vivum repraesentare posset.

Huic magnificentia non cedit armamentarium, quod ei proximum adjacet, quod pariter melius a pictore exhiberi poterit. Sic etiam domus pauperum, seu Waisenhaus. Reficitur, seu potius e novo construitur templum Sti Petri, etiam sublime et ornatissimum. Bina etiam aedificia seu reconditoria frumenti exstructa sunt.

Quod aedificia civium, seu subditorum attinet, sunt illorum plura, visu admodum digna, quae omnia usque ad tectum aedificia Italica et Parisiensia satis imitantur.

Memorandum etiam est, quod extra ipsissimam urbem, seu illam, quae muris cincta est, nova urbs, priori non minor, Fredricstadt appellata, condita sit, hodie a Rege admodum auctior et amplior reddita; in plateâ Friderici $1/2$ fere milliare longa versus medium excipit. Series novarum domuum, quae omnes tam altitudine, quam tota facie externa a solo ad imbricem usque simillimae sunt, est ordo usque ad forum interruptus; pendet adhuc opus, operi tamen vehementer ex jussu Regis instant. Platea in forum desinit, quod eleganter rotundum est, et forum in portam, quae urbem claudit. Maxima ejus pars ab illis, qui manuales operas et artes tractant, pariter a nobilibus aliisque exaedificata est; putares hic centum ducum fore domicilia, quum tamen opificum et artificum sint, qui alias in parvis hypaepis, tabernis et mapalibus habitare solent. Quod oculum maxime oblectat, et animum exhilarat, est mira omnium aequalitas et contiguitas, adeo ut dici possit, multa millia hominum in una quasi domo communem sedem, et consortia tecta habere.

Urbs est populatissima; opificia enim vigent florentque; hic enim sedem suam fixerunt plerique e Gallia exules et profugi opifices: turba per plateas et vicos spissa ruit, adque praetoria densa miscetur; sed plurima ejus pars militiae operam collocat; ad quemcunque etiam angulum excubiae custodum visuntur. Inde concludere licet, tam mercaturam, quam opificia urbes opulentissimas reddere posse; huc quidem nullae merces per mare advehuntur, sed opificia sunt, quae opes has adtrahant, arceantque, ne foras emanent diffluantque.

Juni 3. 4.) Extra urbem exercitia equitum, peditumque videndi gratia me contuli, equitum, qui vocantur gens d'armes; quod exercitia attinet, supra memoratum est, aequalissimo motu, nutu, et tempore omnes agi et moveri, et omnem turmam tamquam manu et arte fa-

ctam, et in loco illo collocatam, secundum artificis nutum momento regi; nihil, quod oculo inaequale sit, oculo occurrit. Si ita in praeliis etiam unanimes forent, ut in exercendo sunt uniformes, Alexandri exercitum vincerent, et multam partem Europae Borussiae subjicerent, sed —

Templum St. Petri ingressus, quod incendio ante 3 annos destructum, hodie Regis munificentia reaedificatur, admodum est amplum; intus tamen nullae columnae sunt, quae tectum et arcus suffulciant; sub tecto fenestrae rotundae circumcirca aedem recta versus centrum domus spectantes, multum luminis subministrant; sunt alias bini ordines subselliorum circumcirca parietes, adeo ut numerosis auditoribus locus sit.

Bibliothecam etiam lustravi; librorum est copia, sed veterum non multa pars hodie adquiritur, deficiente in hujus usum pecunia; plura etiam exhibentur manuscripta, ut Biblia ipsius Caroli Magni ex Aquisgrano huc advecta, ante 800 annos exscripta. Libri historici ex bibliotheca Reginae Christinae Italico idiomate conscripti, et plures alii codices veteres. Biblia Chinici sermonis, Alcoranus exquisitissimi laboris, etiam Alcoranus in forma fere rotunda theca inclusa, exiguissimae formae: magnus etiam Atlas conspicitur.

In Cimeliarchio seu Camera artificiali (Kunst-Kammer appellata), multa etiam visu dignissima exhibita sunt; ut varia ex Electro et succino elaborata opera, scrinia, thecae, statuae, et plura alia, quae ex contiguis et magnis frustis succini conflata repraesentantur. Ibi etiam conspicere licuit diversi generis Corallia, praesertim rubra, pariter florem Martis candidum et pulcherrimum et magnum. Etiam mineras auri; aurum nativum Quartzio annatum magnae admodum molis, pariter silicem extra laevigatum, intra aureis venis confectissimis variegatum et interspersum, adeo ut plus auri intus quam silicis, appareat; etiam argenti nativi frusta, et alias metallorum mineras eximias. Praeter haec etiam exstant opera affabre confecta et elaborata, ut vasa, scrinia, recondito-

ria etc.; repraesentantur etiam vasa et opera Chinica; — praeterea animalia diversi generis, ut crocodili, equi marini, apri spatiosae molis, praeterea unicornua, dentes elephantini varii generis; monstratur etiam culter, ab homine deglutitus et semesus, et inde exscissus homine, postea per 20 annos vitam habente; totus etiam in binas partes disruptus, cum sortem innocentis cujusdam decerneret. Rex Fridericus Wilhelmus facie cereâ ad vivum exhibetur, pariter alii ex filiis et filiabus ejus, et plura alia, quae enumerare non vacat.

Etiam Laboratorium Doctoris Neumanni vidi, ubi plures caminuli et fornaculae pro operationibus chymicis exstructi conspiciuntur, praecipue pro destillationibus in balneo, pariter digestionis; aqua desuper influit, et quod superfluum est, defluit, hocque rotulam circumagit, cujus ope exigua quaedam mola circumagitur, cujus beneficio in pulverem quiddam comminuitur: concinne omnia, et ad amussim constructa sunt.

5. Juni.) Ad iter versus Dresden med accinxi, inque via nihil notatu dignum observare licuit; solum erat admodum sterile et arenosum. E Berlino per stationes solitas Mittenwalde, Baruth, ubi Saxonia excipit, deinceps ad Lucka, urbem satis egregiam, inde ad Sunnewalde, Estenwehre, ubi palatium quoddam regium est, tum ad Groshaan, urbem, Lucka fere similem, inde ad Dresden. Observavi interea caminos argillaceos admodum pulchros; impressae sunt imagines virorum, ducum, comitum, admodum exstantes et conspicuae; angulos tenent columnae argillaceae, omnia colore ferreo obducta.

In itinere perlegi tractatulum Putonis de vermibus Frieslandicis et Northlandicis, in quo sequentia observavi. Sunt modo in Frieslandia et Northlandia, ubi tam naves, quam trabes, aggeribus illorum innixae, sensim comeduntur et perterebrantur. Anno 1732 primum observatum est ex trabibus quibusdam super aquas fluentibus, et ad litus ope fluctuum conjectis. Lignum abiegnum praecipue aggrediuntur, pariter etiam quercicum.

Interdum apparet major talium vermium copia, interdum minor, fortassis secundum aevi variam tempestatem, non aliter, ac solent quaedam insectorum genera, ut mures etc., quae uno anno magis, quam altero, abundant. Anno 1666 conquesti etiam sunt Amstelodamenses, quod naves, ex India redeuntes, a vermibus attererentur et perforarentur, unde etiam costas et ventrem navium suarum clavis, quibus sunt lata capita, munire inceperunt, et inde multo durabiliores Britannorum naves factae sunt. Portugalli vero extremam navium suarum superficiem concremant. Dampier in itinerario exactissime hoc genus vermium describit, hisce Frieslandicis simillimorum; sunt illorum 3 species, quas in figura videre licet. Observatum est, quod vermes, orti in aqua salsa, in dulci pereant; navis, sic obstipata in aqua salsa, illis liberata est in dulci. Ipsam vermium descriptionem tradit Ds. Massuet et Wallisnerius, prior, quod acutiores versus caudam sint, latiores versus caput, coloris albe flavescentis; pars capitis munita est materia quadam duriore, ostrearea vel ossea, in extremitate rotunde cuspidata, adeo ut referant terebras, quibus petra cavant; solido tegmine totum caput contegitur, cujus ope etiam terebratio peragitur; pars etiam versus caudam duriore materia cincta est, ut scilicet fixari possint ad terebrationis opus melius peragendum. Ex dura hac materia caudae apex in 3 partes scissus, sed mollis, prodit; sub ventre apparet ductus aliquis sanguinis. Longitudinis sunt ½ pedis, ad 1 et 2 pedes, inque ipsomet ligno et opere suo terebrationis crescunt, fierentque adhuc majores, si reliquum foret, quod perimere possent; foramina tam lata, ut pennam majorem anserinam inserere posses. Si bini sibi obviam terebrent, vel evitant occursum e via flectendo, vel, si occurere illis contingat, emoriuntur ambo. In via materiam quandam glutinosam et viscosam relinquunt, quae dein indurescit, et foraminis latera obstipat. Materia obdurata similis est ostreareae, et fragillima; in caveis illis observata sunt puncta nigricantia, quae microscopio examinata, speciem

volatilium praebent. Dignum observatu est, quod in superficie extrema ligni exiguissima modo foramina appareant, ut vix oculis dignosci possint, sed intus in ligno magis magisque dilatantur, adeo ut intus crescant. Inventa saepe sunt 100 foramina, quum vix 10 ad profunditatem 1 digiti continuarent, cumque ad superficiem aquae perveniunt, per aliam viam descendunt; amant secundum fibras sursum perreptare; ova illorum rotunda esse dicuntur visco quodam obsita, unde lignis obviis eo melius adhaerent. Media, quae hucusque inventa sunt, ad insectorum hoc genus impediendum, sequentia fuisse traduntur: 1) Ut trabes demittendae fune crassiusculo circumligentur et dein pice oblinantur, seu loco funium capillis vaccinis. 2) Initio anchoris et trabibus combinatis invicem, aggeres suos [contra] ruinam invicem munire sategerunt. 3) Quod aggeres construendi sint, qui auxilio trabium non indigeant. 4) Ut trabes ad ignem valde siccentur, eisque pix illinatur per calida, ut eo melius versus interiora se recipiat, poris scilicet per ignem apertioribus. 5) Wallisnerius vero, ut plumbo tegerentur trabes etc. 6) Quidam, ut saepius abstergerentur trabes, ne prima vermium elementa adhaerescant. 7) Ut trabes bene exsiccatae primum pice, dein materia arseniculi illinantur. NB. Hodie mihi a Judaeo relatum est, quod remedium huic malo tandem adinvenerint, scilicet mixturam seu unguentum conficiunt ex sulphureo pulvere, pice, cerussa et mercurio, sicque omnes aufugisse, — si verum sit.

Quod me attinet, non video melius huic incommodo obviam eundi remedium dari posse, quam 1) ut trabes, quae fulciminis loco aggeribus apponuntur circum circa quam optime crementur, et ad substantiam fere carbonariam non profundius quam ad 1/4 partem pollicis circum quamque comburi debet; hinc enim vermes nullum locum, ubi sedem figant, habere possunt; nihil illis nutrimento cedit; nullum lignum eis obviam datur, unde escâ et nutrimento illis deficiente deficiet etiam vegetatio et vita. 2) Quomodo vero combustio peragi pos-

sit, adeo ut trabs circumquaque ad profunditatem $^1/_4$ pollicis circiter carbonem imitetur, hoc omnino fiet per flammam satis vehementem et citam, quod eo citius peragi posse videtur, si trabs prius circumlita sit pice, et dein super ignem flammeum teneatur. 3) Si dein velis etiam pice illam oblinire, fortassis cavebis, ne per rimam quandam influat ovulum, ex quo vermiculus excludi solet. 4) Hoc videtur eo melius succedere posse, quum omnis materia lignea in carbonariam sit conversa, et nihil succi et olei relictum sit, quod ei nutrimento cedat; observatum enim est, quod melius nutriantur in ligno abiegno, quam in quercico, quia major olei copia, unde si caput mortuum et carbo modo residuus sit, ibi neutiquam vitam accipient, et versus interiora pergent. Patet etiam hoc ab experientia; Portugalli ad evitandum hoc malum, superficiem extremam et salo immergendam navium suarum prius concremant, unde immunes et talis periculi et damni expertes redduntur illorum naves. Dixi, quod vehementiori flamma cremandae sint trabes; tunc enim extrema pars solummodo crematur, et in carbonem convertitur, interiore adhuc remanente vegeta, sicca, seu a flamma immuni et intacta, quod videre licet in ligno, flammae vehementiori immisso; extrema ejus pars cito converti solet in substantiam carbonariam, quum interiora adhuc plane intacta sint, et vix calida facta. Quomodo hoc fieri posset, scilicet quomodo trabes arietibus imponi commode queant, subjecta materia combustibili flammam nutriente et vibrante, et sic circumquaque ad certam profunditatem comburi, ars mechanica mille modos suppeditabit; pariter, quomodo flamma semel superficie tenus, in trabe incepta, illita ei pice, exstingui possit, et hoc usque dum satis sit, hoc etiam facillime subministrari potest, si tantum modus cremandi trabes, anteque mari immittantur, approbetur recipiaturque.

7. Juni.) Ad Dresden perveni, sicque a Stockholmia 28 dierum iter confeci; sique auferantur 12 dies, quibus quiescerem, iter 16 dierum modo foret.

9. Juni.) Templum novum (Frauenkirch) elegantissimum, quod prope forum constructum, contemplatus sum; quod intus rotundum, circum parietes sub tecto triplici subselliorum ordine ornatum, praeter reliquam interiorem faciem maxime conspicuam et concinnam. Sub terra sunt lacunaria et cellae, seu loca sepulchrorum amplissima, multum spatii occupantia.

11. Juni.) Externam faciem palatii Regis, ut et palatii ad Regium propinqui, simulacris et statuis argillaceis et gypseis ornatissimi, contemplatus sum, ut et caveam illam sylvestrem seu montanam, alias Grottam appellatam, ei adjunctam, ubi etiam aquarum per gradus quidam et e scopulo decursus formatus est. Atrium unum ingressus, sub tecto picturas elegantissimas conspicere licet; solum marmore stratum erat, ubi lapis marmoreus multae amplitudinis, et consequenter multi pretii in medio ostendebatur.

12. Juni.) Ad hortum Regium, qui arboribus Indicis et extraneis modo constaret, me cum socio contuli; hortus ad sinistrum cupressis et lauris conspicuus est: ad dextrum Citrorum et Pomorum aurantiorum; intra parietes arboribus varii generis, fabarum Indicarum (Caffe) etc. ficu capacissimi trunci; hic mirari licet tantam lauruum et Aurantiorum arborum copiam, in unum collatam; dum enim ultra 500 lauruum, elegantissime sectarum, et 500 Aurantiorum arbores numerari queant, omnes simillimae, aequaliter procerae, crassae et adultae, cujuslibet truncus ad minimum aequans diametrum 8 pollicum, at vero ficus Indica diametrum 24 pollicum. Reliquis in Europa instructis hujus generis hic omnino palmam praeripere videtur.

13. Juni.) Die Sti Johannis extra urbem ambulandi gratia, et sylvam marmoreis statuis et simulacris insignem videndi, me contuli; est via seu stratum longissime ducens, arboribus sectis utrinque a latere stipata, simulacris argillaceis pariter ornata; sed excipit dein ipse campus, seu theatrum magnum, statuis et simulacris marmoreis conspicuum et ornatissimum; omnia can-

dido et nitidissimo marmore elaborata, omnesque effigies ad vivum quasi sculptae, dantur majores et minores, tanta copia, ut vix numerari possit; Versaliensibus non multum cedunt, nisi magnitudine. Locus, ubi animum in delicias campestres diffundere licet.

Pons, qui ducit in urbem ab urbe nova seu Neustadt, est magnificentissimus, a fluvio altissime exstans, 17 arcubus suffultus; sunt etiam ab utraque parte 17 loca sedentibus aut quiescentibus optata; ad unum latus est crux aenea cum Christo suspenso super rupem, e lapide factam; ab altera parte e regione sunt 2 simulacra seu statuae.

14. 15. 16. 17. 18. 19. Juni.) Principia mea percurri et emendavi.

20. Juni. 1. Juli.) Neustadiam, seu novam urbem, domum illam videndi gratia, quam dux Saxoniae exstruit, me contuli, ubi etiam amoenissimus et instructissimus hortus conspicitur, in quo quondam, vivente Augusto Rege, vasa Porcellanea exposita sunt, quorum maxima quantitas in laquearibus dictae domus esse perhibetur.

21. Juni. 2. Juli.) Hoc die aedem sacram ducis Saxoniae ingressus sum, sacra ejus more Catholico celebrata visurus; nihil ibi deesse potuit, quin omnes sensus suam ibi captare potuissent voluptatem, auditus ex tympanis, tibiis, buccinis, quae turbine ab imo crescunt, ex cantu Castratorum seu Eunuchorum, virgineam vocem imitantium, exque plena omnium instrumentorum harmonia. Olfactus ex nidore illo et suffitu thymi, cujus odorem et fumum pueri late spargunt. Visus ex picturis omnis generis circa aedem relocatis, ex vestimentis magnificis, quibus monachi induti et personati procedunt, ex multitudine monachorum ministrantium, et huc illuc histrionum more se convertentium et gradientium, exque illorum varia gesticulatione; mihi praecipue, cui licuit ipsum Ducem et Ducissam illorumque filios filiasque, omnes devotissimas et illi religioni addictissimas, primum conspicere. — Sensus interni,

quod omnia tam sublime et sanctum spirarent, ut ad minimum tinnitum campanulae in genua provolverentur, et omnia latino et peregrino idiomate peragerentur, quo animos plebis maximopere solent percellere. Verba sacra Ecclesiae Romano-Catholicae ad delicias sensibus nostris externis creandas apprimis commenta et ficta esse videntur, ut scilicet illa omnia corporis organa allicerent, et sensibus sic abblandirentur.

Eodem die extra urbem comitantibus 5 aliis per Albim, seu per aquas Albenses ad vineas, seu montes, ubi vineae sunt, nos contulimus: ibi amoenissimus est conspectus; mons ulmis et vitibus, pariter etiam rusticanis aedibus per totum montem sparsis et consitis conspicitur.

22. Juni. 3. Juli.) Librum Domini Johannis Bernouilli, cujus Titulus: „Essai d'une nouvelle théorie de la manoeuvre des vaisseaux" perlegi, ubi geometrice agit de navium constructione etc. 1) De actione fluidorum contra superficiem corporum, quibus occurrunt. 2) De via et fluxione navis, figuram parallelogrammam referentis. 3) De celeritate navis rectangularis. 4) De situ velorum, et de figura trabis, quae infimam navis partem tenet, seu Koehl appellatur, qualis sit, ut optimum effectum edat. 5) De positione gubernaculi, navem fortissime circumagentis. 6) De cursu navis, figuram Rhombi repraesentantis. [7) De ejus celeritate.] 8) Et hoc in respectu ad trabem infimam seu ad Koehlen. 9) De motu corporum curvatorum seu curvilineorum in fluidis. 10) Applicatio praecedentis theoriae ad quasdam naves. 11) Consilium, construendi tabellas pro cursu navis, consideratione habita ad imum ventrem navis. 12) De loco commodissimo mali. 13) De axe, et centro resistentiae aqueae. 14) De sinuatione et curvatura velorum. 15) De axe et aequilibrio impressionum venti in vela. Sequuntur dein binae epistolae ad Dominum Renau, et ejus responsum.

Perlegi dein Julii Bernhards von Rohr „Compendieuse Haushaltungs-Bibliothek", anno 1726. in 8., ubi

generaliter agit 1) de studio oeconomico. 2) Von dem Cameralwesen. 3) Von der Privatwirthschaft, Land- u. Feld-Oeconomie. 4) Vom Ackerbau. 5) Vom Weinbau. 6) Vom Bierbrauen. 7) Von [der] Kochkunst u. Confituren. 8) Von [der] Gärtnerei. 9) Von [den] Wäldern u. [der] Jägerey. 10) Von Teichen u. Fischereien. 11) Von [der] Viehzucht. 12) Von Bergwerkssachen u. mineralischen Reiche, ubi agit de fodinis et operibus metallicis in Germania, quae enumerat et recenset, de carbonibus, turfeis, ligneis et fossilibus; autores non multos recenset, tantum Kircheri „Mundum subterraneum", de quo tamen Websterus Anglus et Morhoff judicant, quod mere figmenta contineat. Alius est Ulyssis Aldrovandi Musaeum metallicum, qui differentias plures metallorum tradit, sed nihil de illis judicat; tum Beccheri physicam subterraneam cum Domini Stahlii observationibus 1703; alius prodierat quidam idiomate Gallico a. 1713. in 12. „Traité des métaux et mineraux, et des remèdes, qu'on en peut tirer, par Mr. Chaubon". Sunt alioquin alii, ut M. Joh. Matthesii Bergpostille oder Sarepta", fol. 1587; etiam „Melzers Gangraena metallica, oder Bericht von Bergwerken"; — Abraham Schönburgs „Ausführliche Berginformation", Leipzig 1693. — Sebastian Spahns Bergrechts-Spiegel, Dresden 1698. fol.; — Georg Kaspar Kirchmeyer instructiones metallicae, von Bergwerken, mit Kupfern, 1687. in 4.; alia ejus opera, Wittenbergae 1698. in 4., memorat etiam Löhneis. — Ein gewisser Bergrath hat 1717. in 12. [ein Werk unt. d.] Titel: „Kurzer Unterricht von Bergwerken" edirt. 13) Vom Commercienwesen. 14) Von Theologischen Schriften. — Ejusdem seu Julii Bernhards v. Rohr Compendieuse physikalische Bibliothek in 8. Leipzig 1724: 1) Von der Naturwissenschaft überhaupt, und den dahin gehörigen Schriften; de elementis; de regno vegetabili, de regno minerali, de meteoris, de thermis.

25. Juni. 5. Juli.) Extra urbem domum Turcicam, ut vocatur, videndi gratia, exspatiatus sum, est etiam ibi hortus amoenus. In ipsa domo conspiciuntur femi-

nae Turcicae, Chinicae, Persicae, Graecae, cum vestimentis illarum solitis depictae; pariter viri famigerati et eximii, ut Sultanes, Vizirii, Mufti etc. Etiam tapeta Turcica et Persica pretiosissima tam super pavimentum, quam circa parietes posita. Etiam argentea illorum opera, quae plerumque sunt ex opere „filigrane“ appellato cum fluore quodam vitreo hic et ibi distincto; etiam argentum crystallo insertum; argentum, quod albo et nigro colore in rosarum formas variat; etiam corium, filis aureis intertextum, opus adhuc Europaeis ignotissimum; repraesentantur etiam aliquot partes urbis Constantinopolis, supra montes et colles plane aedificatae, interluente aqua; palatium Sultanis cum uxorum ejus domicilio; etiam Moskée seu sepulchra et templa illorum; in idea hic videre licet Constantinopolin et ipsam fere aulam Ottomanicam.

Libri in novellis annotati sunt sequentes: „Histoire métallique des Pays bas, Dni van Loon,“ Gallice et Hollandice; ut et: „Discours sur les differentes figures des astres,“ h. e. discursus de figuris differentibus astrorum, una cum expositione compendiaria Systematum Cartesii et Newtonis, auctore de Maupertuis, Parisiis 1731 octavo, 5½ f.

6. Julii stylo novo.) Extra urbem videre contigit Laboratorium, quo papyrum conficitur, more Hollandico, ut opinor, cum Cylindro, aeneis cultris instructo, substrata simili tabula aenea, constructum. Sed circum unam rotam modo simplex mola seu Cylindrus est, non 4, ut Hollandiae.

Dein Officinam et focum perlustravi, ubi Cuprum in lamellas tenues extenditur, cum tribus malleis; focus est vulgaris instar ferrarii. Libra tenuiter malleati cupri venditur pro 9 grossis seu 27 öris argenteis Suecicis.

Dein Laboratorium perlustravi, ubi poliuntur et laevigantur vitra, ut illis folia agglutinentur, et specula formentur, opus admodum excellens; vitra et specula ibi parantur altitudinis saepe 4 ulnarum. Quod ipsum

opus attinet, observatum est 1) Quod vitra, e furno illuc allata et adhuc rudia, sint admodum crassa, ultra ½ pollicem crassitie aequantia, sed per polituram admodum tenuia redduntur, adeo ut vix dimidiam prioris crassitiem retineant. Politio peragitur modo sequenti. 2) Inseritur typo cuidam, sed ponitur super saxum laevigatum, cui optime annectitur, et agglutinatur ope gypsi seu argillae, flave rubescentis, et ita inseritur, ut firmissime adhaereat. Saepe adfiguntur 3. 4. 6. 10. vitra uni lapidi, et omnia simul polituram accipiunt. 3) Saxum hoc cum adhaerente vitro mensae seu abaco imponitur, cui etiam machina alia imponitur etiam lapidea, sed infra; super vero lignea 6 vel 7 loculis instructa, in quos arena, pariter etiam pondera mittuntur, ut eo melius incumbant, et inserviant vitro poliendo subjacenti. Observandum est, quod politio semper fiat per bina vitra, unum supra alterum, per quae bina omnis peragitur politio. 4) Machina per aquam et rotam agitur, quae uncum quendam in triangulum flexum circumagit, et ille 4 brachia, quae reciproce moventur: cuilibet brachio annexa sunt 4 vel 5 hami, simul 18, qui globulo versatili plani superioris inseruntur, et per reciprocationem motus superioris plani, seu trabulae, cui vitrum insertum est, polituram peragunt; 5) Observandum est, quod planum hoc superius versatile sit, nam rotula orbis instar circumagi potest, illum in finem, ne semper eadem via trahatur, et per arenam interjectam sulci exarentur; orbis in medio, cui uncus machinae inseritur, ita versatilis est: sunt itaque ad unam machinam appensa 18 paria talium lapidum. 6) Quum polienda sunt vitra, primum usurpatur arena crassissima, quod perstat fere 8 diebus; dein adhibetur arena pariter rudis, sed aliquantum priore minutior; perstat hoc etiam 6 vel 7 diebus; dein arena adhuc subtilior, tum subtilissima alba, qualis fin Strösand appellatur; impenduntur unicuique operi 5 vel 6 dies. Sunt itaque 4 graduum, dum attenuatur vitrum per arenam; hoc non politio, sed attenuatio potius appellanda est. His peractis poliuntur

eadem vitra per Smiridem (Smergel), qui rubri coloris et substantiae crassioris est, quod fit, vitra illa super alios similes lapides relocando, et pari modo illa eis affigendo, et ope ejusdem machinae et eodem modo reciproce, continue scilicet retrorsum et retrorsum agendo, et unum vitrum super altero terendo et fricando, dum utrumque simul polituram acceperit. Smiris in aqua solvitur, et subinde ope spongiae vel manus in vitrum subjacens seu inferius infunditur; tabula superior etiam hic ad omnes partes circumvertitur, ut tam secundum longitudinem vitri, quam secundum latitudinem, et ad omnes partes peragatur politio; hoc opus 3 diebus absolvi solet. 8) Vitra sic elaborata et attenuata, et prima vice polita, traduntur feminis, quae pariter bina vitra unum supra alterum dextris et brachiis ducunt reducuntque, et sic continue per unum diem, intermittendo Smiridem flaviorem et subtiliorem, qui in conorum formas compactus sit. [9.] 10) Demum politur hoc vitrum adhuc, applicaturque machinae simili, hocque sexta vice interjecta terra quadam rubra, quae vocatur terra Anglicana, et constare videtur bolo, sed colore rubro admodum subtili, unctuoso et laevigato. Hic applicatur super tabella tantum parva, quae non quaquaversum circumagi potest, sed trahitur retrahiturque secundum longitudinem vitri, semper submittendo terram dictam rubram Anglicanam aqua solutam; hoc perstare solet spatio 12 horarum. Interea plane politum et laeve conspicitur vitrum, adque justam crassitiem etiam redactum est, et ad speculum jam idoneum redditum. Machina haec ultima eodem modo facta est, quo prior, cum illa tantum differentia, quod mola superior sit minor.

Quod vero attinet folii ad vitrum agglutinationem, ut inde speculum obtineatur, fit hoc sequenti modo: 1) Habent mensas, seu marmoreas, seu lapideas, alias justae amplitudinis, tales, quae optime poliri possint, seu etiam vitreas. 2) Tum etiam folia, seu cancellas tenuissimas stanni, quae tantae tenuitatis sunt, ut 100 simul collocatae vix crassitiem $1/2$ pollicis aequent. 3) Folium hoc

stanneum super mensam hanc supponitur, et insuper Mercurius currens vivus, quae ambo amalgamantur, et insuper vitrum; super vitrum vero pondera in medio argillacea, ad margines plumbea, quibus plane oneratur. 4) Relinquitur in hoc statu per integram noctem; interea amalgamatur stannum et Mercurius, et disparet stannum, et unitur sic utrumque cum vitro, eique firmiter adhaeret, et vitrum in speculum vertit. 5) Superflua Mercurii pars per se inde effluit; sique aliqua pars superflua adhuc remansisset, eriguntur dein oblique specula; interea tunc emanat, quicquid Mercurii superflui remanserit. 6) Quod vero foliationem vitri excavati attinet, inventum enim nuper est, figuras incidere vitro a parte opposita, quod simulat tamquam a parte obversa figuratio illa excavata foret, sed ut folium etiam in sinus et plicas illas applicetur, super pannum ex lana Indica confectum et aliquoties complicatum relocatur, super impositis aliquot ponderibus, ut sic folium se melius insinuare possit plicis, et locis vitri excavatis.

Quod attenuationem stanni in folia attinet, observandum est: 1) Quod in hunc usum adhibeatur modo stannum Indiae orientalis; Saxonicum ad hunc usum non aptum esse dicitur. Sub malleo in partes abit, et rimulas crebro ducit, adeo ut inde continua lamella haberi nequeat. 2) Quum in typum effunditur stannum, inque lamellas quadratas, opifex dein illas continue et eousque tundit, dum 100 simul malleo suo compingere possit: leviter tantum malleo percutit laminas. Tandem lamina, cujus latus quadrati fuerit modo $^1/_2$ pedis crassum, tam diu compingitur et attenuatur, dum latus ejus quadratum sit $1^1/_2$ ad 2 ulnarum. 3) Dum 100 tales laminae elaborantur, perstare dicitur labor spatio 5 vel 6 septimanarum.

8. Julii.) Perlustravi primum tomum de „Bibliothèque Italique, ou: Histoire litteraire de l'Italie", ubi sequentia observata sunt. Recenset primus tomus quem ediderant, Rerum Italicarum scriptores, dicit esse societatem quandam, 16 personis constantem: agitur ibi pri-

mum de legibus Lombardorum in Italia, ex quibus gentium mores cognosci posse putat. Leges illae anno 638 latae sunt, et diu in Italia viguere; duraverunt ad annum 1137 sub Lothario II Imperatore; eodem tempore tres leges erant: Romana, Salica, Lombardica; sed tamen incertum est, annon adhuc sint abrogatae, quin secundum illas judicium ferri possit. Leges Lombardicae sunt pluries editae, sunt ejusdem gustus, ac sunt leges gentium Septentrionalium, permittunt duellia cum fustibus etc. Si occidatur uxor sine causa sontica, pendetur mulcta; filius naturalis partis etiam haeres erit etc. Dignum est examinare, num leges Suecanae vetustae cum his coincidant, vel non, seu quae sit discrepantia, unde deduci posse videtur, num Gothi Italiam una cum Germanis subjugaverint.

10. Julii.) Penes Dominum Secretarium Ruger vidi „Cosmologiam generalem“ Domini Wolfii, qui ex principiis mere metaphysicis naturam elementorum stabilire annisus est, quae sanis admodum fundamentis innititur.

Dein legi: la Bibliothèque italique anno 1728, et inibi recensionem metallothecae Dni Michael Mercati, ubi primum narrat, quod Albert le Grand sit unicus, qui saeculis praeterlapsis quid methodice ediderit de mineralibus, quodque illum sequutus sit Camillus Leonardi saeculi XVI, etiam Mathiole Fallopius, Valerio Cordo, et Agricola, sed ultimus meliori successu. Mercati cum Andr. Caesalpino studia exercuit: moriebatur anno 1593, sed opus ejus posthumum a Pontifice Clemente XI publico donatum est; 120 annis post mortem auctoris M. Lancisi notas addidit. Contenta libri sunt: 1) De terris. 2) De sale et nitro. 3) De alumine. 4) De succis acidis et acribus, vitriolo, auripigmento, et sandaracha. 5) De succis bituminosis. 6) De plantis marinis; 7) De lapidibus, qui terris similes sunt. 8) De lapide Bezoardico. 9) De lapidibus figuratis. 10) De marmore. Voluit etiam tomum secundum edere: de fluoribus, de

lapidibus pretiosis, auro, argento, cupro etc., sed mors praevenit.

Mons. Bianchi anatomista plures disputationes anatomicas edidit, et ostendit etiam Mechanismum illorum, vult edere 2 volumina in folio; de omnibus partibus corporis humani, deque illarum Mechanismo, omnia ad morbos, illorumque curationes applicata in Turino.

Jean Jerome Zannichelli Venetiae edidit historiam naturalem insulae, quae appellit ad Venetiam; publicavit anno praeterlapso dissertationem eximiam de ferro deque sale quodam Crystallino sine gustu, qui extrahitur ex ferro, ejusque Nivis praeparatione; multa de illo metallo ibi in medium affert.

11. Julii.) Perlegi Clavem Astronomiae Petri Horrebowii anno 1730 Hafniae editam, ubi nihil praeter quasdam hypotheses nihili momenti observare licuit; praeterea adducta sunt quaedam experimenta ab aliis facta, quae notatu digna sunt, ut: 1) Clarissimi Teichmejeri, qui calidissimo tempore, coelo perfecte sereno cylindrum vitreum glacie et sale communi repletum, extus vero siccissimum aëri exposuit, et notavit spatio unius horae, crustam glacialem pruinae speciem referentem lateribus vitri adcretam, crassitie digitum minorem fere superantem. 2) Implevit ad certum gradum phialam oleo vitrioli rectificatissimo, et postea observavit, quantitatem liquoris diebus tantum siccissimis et calidissimis auctam esse. 3) Perpendiculum oscillans Parisiis intra unum minutum secundum est 3 pedd. 8,556 lin., at sub aequatore 2 lineis brevius. Formavit sic chartam auctor ad quamlibet latitudinem, qualis esse debeat longitudo perpendiculi sub latit. 0, erit 3 pedd. 6,823 lin.; sub latit. 10, erunt 3 pedd. 6,915 lin.; sub 20 lat. 3 pedd. 7,180 lin.; sub 30° lat. 3 pedd. 7,587 lin.; sub 40° lat. erunt 3 pedd. 8,085 lin.; sub 50° lat. erunt 3 pedd. 8,617 lin.; sub 60° lat. erunt 3 pedd. 9,117 lin.; sub 70° lat. erunt 3 pedd. 9,524 lin.; sub 80° lat. erunt 3 pedd. 9,789 lin.; sub 90° lat. erunt 3 pedd. 9,881 lin.

12. Julii.) Iterum in horto Aurantiorum, seu ar-

borum exoticarum fui, et ibi observavi 1) Palmam cum suo cortice, foliis et fructu. 2) Acatiam aegyptiacam cum suis spiculis. 3) Sirium Judaicum. 4) Arborem draconis altum et inaequalis stipitis. 5) Arborem, in qua fabae Café crescunt; exterior pars comedi potest; intus latent fabae. 6) Arborem Ometz; circumferentia 2 ulnarum, et pondere 12 Centner; longa 2 ulnas. Transportantur trunci ex Italia sine radice et sine foliis, utrinque amputati; et inditur urnae et terrae, et circumligatur musco; post 1 annum trahit truncus radices, et producit ramos et folia.

Ex Bibliotheca Italica sequentia excerpenda judicavi, quomodo Dominus Woodward mineralia, salia, metalla, terras, in classes redigit, sed hoc Gallice, nimirum: 1) Terrae, primum quae linguae adhaerent, la terre des foulons; la glaise, dont on fait les pipes. Has binas terrae species vocant aliqui Cimole rouge et Cimole blanche. L'argille: terre de Samos; terre de Lemnos, tant rouge, que blanche, Bolus d'Armenie. Deinde Terrae, quae linguae non adhaerent, ut la terre savonaire, ou Steatile, la Craye de Briançon, seu: Chaux de France. Tertio Terrae siccae, et rudes tactu, ut: Terre verte et Terre bleue des droguistes; Craye rouge, tripely, pierre rouge, terre de Malte, terre de Chine, unde Porcellana conficitur; l'Ochre; terre d'Ombre; la craye Steinomarque d'Agricola, seu lait de lune; terre noire; la marne; limon; terre à potier; terre grasse. Ultimo le sable et le gravier. 2) Lapides et saxa, primum in magnis massis d'une contexture un peu lache et rude au tact; la pierre molaire, la queux, la pierre de sable, de Grez, Pierre de taille, pierre à chaux, Emeri. Secundo les pierres douces au tact, qui se polissent un peu par le frottement, ut l'ardoise, la pierre de touche, la queux à huile, la petite queux. Tertio qui sont si dures et compactes, qu'elles prennent polissure: l'albatre, le marbre, la serpentine, le porphire, le granite; pierres d'une masse plus petite, comme de figure, les gros cailloux de pierre à chaux. La pierre, qui sent la violette, les mar-

rons de pierres differens, les pierres d'une figure diverse et incertaine, mais dont la structure interne est determinée, comme celles, qui sont composées de fibres parallèles, qui sont flexibles et elastiques, ut le Gyps sillonnée d'Angleterre, l'amianthe, ou asbeste, l'alun de plume. Les pierres composées de lames, comme le talc, la mique argentine, la dorée et la noire. Celles, qui se divisent en cubes, pentagones etc., ut sunt flores Crystallini, ludus d'Helmont. Les fistuleuses, comme la pierre syringoide. Celles, qui sont composées de Croutes. Celles, dont les croutes sont fort adhérentes. Celles, qui sont concaves, et contiennent quelque matière, qui ne'st pas adhérente à la croute. Solides et pierreuses, que les anciens appelloient Callimus. Liquide, enhydros. Les pierres de figure certaine, comme Sélénite, la pierre speculaire, le belemnite, Lyncurius, coralloides fossiles: le stelechite, mycetite, porpite, astroite; la pierre favagineuse, les flueures figurées, le stalactite, Stalagmite, osteocolle. Les pierres plus dures, que le marbre, celles, dont la couleur n'est point variée, comme la pierre nephretique, la malachite, la turcoise. Celles, dont la masse est de differentes couleurs, le Lazuli, ou la Cyanée, l'heliotrope, le Jaspe. Les pierres, moitié transparentes de differentes couleurs, comme l'oeil de Chat, l'opale. Celles dont les couleurs sont invariables, comme divers petits cailloux, des moilons très compacts, l'agate, la Chalcedoine, l'agate de Mochoen, l'oeil de Beli, l'onice, la Sardoine, la sarde ou la Carnéole vulgaire, la Cornaline blanche, la jaune trés rare, le beryl. Les pierres transparentes, les colorées, comme la topase des modernes, ou le Chrysolithe des anciens, l'hyacinthe, le granat, le rubis de roche, le rubis balais, le rubis spinelle, l'ecarboucle, l'amethyste, le saphir, l'aqua marina des lapidaires Italiens, l'Emeraude, la Chrysolithe. Les pierres sans couleurs, comme le Crystal, l'iris de Pline, le saphir blanc, le diamant. 3) Les sels, comme le sel marin fossile, tant celui de roche, comme de gemme; le sel de Cyrene ou Ammoniac,

le tincal des Persans, ou la Chrysocolle des Anciens; le Nitre des anciens Egyptiens, que les modernes appellent Natron, le nitre, le sel acide fossile, qui melé avec une matière bitumineuse, cretacée, ou metallique, produit le soufre, l'alun et le vitriol. 4) Les bitumes, comme les liquides, le Naphte, le petrole, l'huile de terre des Barbades. Les solides: le bitume, le pisasphalte, l' ambre, le gagate, l' ampelite des modernes, le charbon de pierre. 5) Les mineraux, les fluides, l'argent vif fossile; les solides, fusibles, mais non ductiles, le cinnabre fossile, l'arsenic rouge fossile, l'arsenic jaune fossile, le pyrite, la marcasite, le cobalt, la pierre calaminaire, l'antimoine, le bismuth, le Zinc, le plomb de mine ou noir de plomb, vel nigrica fabrilis. 6) Les metaux, comme: l'or, l'argent, le cuivre, le fer, l' étain, le plomb. De meteoro igneo, viso anno 1719 Venetiis, quod varii colores in coelo apparuerint, quod flammeum quiddam, quod globus, ex quo prodiret fumus etc. ex omnibus circumstantiis fuisse sulphur quoddam putant. Alius tradit, quod Chymistae sciant talia phaenomena exhibere, ut dracones et globos igneos, per mixturam sulphuris, nitri, camphorae, olei petri, per spiritum vini penetrati, dein bene evaporati.

13. Julii.) In: la bibliotheque Italique; mentionem facit anatomicorum, ut Domini Ruysch, Hollandiae, mons. des Nouës, qui ex cera confecit organa. — Mons. Bianchi anatomiam instituit, ut sine sectore omnia aperirentur et conspicerentur ita naturaliter, ut integra femina, prius — — dissecta momento aperiatur, cultris detraheretur, omnes arteriae et nervi conspicerentur, organa interiora in loco suo perlustrarentur, uterus cum foetu, et plura alia, quae rursus momento composuit.

Francisci Travagini [Disquis. super] observationibus de terrae motibus Italiae: quod tempora, quae praecedunt et sequuntur aequinoctia, sint illa, quibus existunt terrae motus; quod vibratio facta sit ab oriente ad occidentem, et vice versa, quod stanti observare licet; pariter ab undis et canalibus, a domibus et aedibus, illarumque lampadibus

et campanis. Observatum est, quod motus hic reciprocus semper sit conjunctus cum vibratione laterali, sed non tam forti prope locum motuum terrae; motus hic seu vibratio secundum distantias diminuitur; quod vibratio remaneat sensibilis in locis longe abinde disjectis. Mons. Rizzetti edidit: systema colorum, et ejus Objectiones contra Newtonium, in 8., latine a Trevise.

Mons. Bourguet: „Lettres philosophiques sur la formation des sels et des cristaux, et sur la génération et le mechanisme des plantes et des animaux, à l'occasion de la pierre Belemnite et de la pierre lenticulaire, avec un mémoire sur la théorie de la terre.“ Autor est Genevae; liber impressus Amst. chez l'Honoré 1729.

NB. Journal latin de l'academie des curieux de la nature; etiam: Journal des savans de Venise.

„Hesperi et Phosphori nova phaenomena, seu observationes circa planetam Veneris“, Dni Francisci Blanchini Veronensis, cum 10 figuris, in fol. p. 92. — à Rome. — Sunt ibi maculae [ut] in luna, quae fortassis sunt maria; apparuit telescopio 112 vicibus se major; succedebant ordine, et evanescebant propter motum ejus diurnum. Insuper aequator aliter plane situatus, reddit macularum observationem variam; poli in plano perpendiculari ad ecclipticam sunt, et in centrum solis obeunt; erat etiam macula, quae remanebat, quam aliae circumibant; in medio erat macula illa; polus borealis apparuit, dein, quae semicirculum repraesentabat. Aequator ejus apparebat maxime obliquus ad planum orbis, et axis revolutionis multum jacens super planum hoc seu sua eccliptica, circiter 5 ⅓ graduum; angulus, quem axis facit in hoc plano, est circiter 15 graduum. Propter magnam illius obliquitatem, et aequatoris ejus cum orbita seu orbe oritur magna diversitas tempestatum, veris, auctumni etc. Sol enim utrinque ab eo aequatore redit 75 gradibus. Mars vero est in perpetuo aequinoctio. Diurna convolutio Veneris secundum communem opinionem est modo 23 horarum, ut Cassini, Gregori, Keil, Whiston. Sed secundum auctoris observationem erat

circumvolutio 24 dierum et 8 horarum, seu 584 horarum. Jupiter vero adhuc citius circumvolvitur, quam terra; Venus est a Tellure elongata 8000 semidiametris terrae.

De viris eruditis in Italia videre licet la Bibliotheque Italique pro anno 1730 Pars III. — Bonav. Cavalieri dicitur primum invenisse Calculum infinitorum, in libro, anno 1653 edito, qui vocatur: „Geometria indivisibilibus continuorum nova quadam ratione promota." — Hoc fatetur fere Dom. Fontenelle; alii ad Newton, alii ad Leibnitz; sed ille fatetur, quod debeat hoc Dno Viette. Etiam discipuli Cavalieri idem scripserunt, ut: Pietro Mengoli, an. 1659, tit. libri: „Geometriae speciosae elementa"; pariter: Etienne de Angelis scripsit de infinitis parabolis. Dein etiam Grandi scripsit de infinitis infinitorum, dein etiam alii, ut Alessandro Marchetti, Paolo Mattia Doria, Giacinto Cristofori, Antonio Monforte, Francesco Spoleti, Guiseppe Sassi, Lorenzo Lorenzini, comes Fagnani, et plures alii in illa scientia.

In Hydrostaticis Marquis Poleni: de Castellis, per quae derivantur fluviorum aquae, habentibus latera convergentia, quo etiam continentur nova experimenta ad aquas fluentes, et ad percussionis vires pertinentia. Thomaso Narducci, Antonio Michelotti: de separatione fluidorum in corpore animato; etiam [quae scripsit contra Librum Jurini, cui titulus:] de motu aquarum fluentium; dein: Observationes, [quae] sunt factae a Corradi et Manfredi.

In Dioptricis invenit multa Giovanni Rizzetti; multos errores in Newtonio observavit.

In Astronomicis, Geographicis et navigatione non multi fuerunt Italici, qui illorum operam navarint; habent tamen aliquid pulchrum: Giuseppe Nardi, Eustachio Manfredi, Bianchini, Marquis Poleni, etiam Gaetano Fontana.

In Physicis, Anatomia et Medicina: ut Galilei, Toricelli, Borelli et Castelli, qui primi tradiderunt Mechanismum fluidorum, Castelli della misura dell' acque correnti. — Vallisnieri: des vers seminaux, est

in opinione contraria cum Loewenhoeck, Hartsoeker et Andry. Dein Malpighi, Bellini et Redi in Anatomia et Historia naturali. Jacinto Cestoni de origine insectorum. Giovanni Battista Morgagni scripsit adversaria anatomica. Giovanni Maria Lancisi medicinam tractavit in Physicalibus experimentis mediante Geometria. Dein Ramazzini in medicinis, pariter Guglielmini, Domenico Sangenito, Felice Stochetti, Giacinto Vogli, Domenico Mistichelli, Pietro Antonio Michelotti; Ant. Maria Valsalvo: de aure humana 1704; Giovan. Fantoni, Bernardo Trevisano, Genaro Pisani, Giov. Battista Mazino, Francesco Gogrossi, Zanichelli, Bart. Boschetti, Luigi della Fabra, Conti, Luigi Ferd. Marsigli, Aless. Pascoli, Giov. Battista Felici, Constantino Grimaldi.

In pictura. Primus, qui dedit vivacitatem picturis, erat: Giotto, dein in saeculo 16 erant Raphael, qui mortuus anno 37; tum Coreggio et Tiziano. Hodie lustrum suum coepit a Cignani, tum Carlo Maratti; etiam hujus saeculi illis plures pictores: Franceschini, Solimeni, Giuseppe del Sole, Barino, Celesti, Viani, Santi Pauli, Bellucci, Gambarini, Gabbiani, Pietro Leon Ghezzi. — In pictura perspectiva: Pozzi, Cavazzoni, Castellini, Bistega et Bibieni. Qui adhuc scholam Cignani celebrarant, fuerant Felice Cignano, Bonaventura Lamberti, Ludovico Antonio David. Ex schola Maratti sunt Antonio Balestra, Girolamo Odamo. Ex schola Franceschini est Domenico Tempesti. Ex schola Giuseppe del Sole sunt: Felice Torelli, Giuseppe Mazzoni.

In sculptura primi fuerunt: Margaritone, Andrea Pisano et Pietro Cavallino; saeculo praecedenti Antonio Lombardo, Alessandro Algardi, et praecipue Bernini; saeculo 16mo Paolo Romano, Leonardo Sormano, Bavio Pandinello. — Hodie sunt Gian. Battista Foggini, Giuseppe Mazzoli, Giuseppe Mazza, Girolamo Odamo, Giuseppe Piamontini; a Rovetta sunt quaedam familiae sculptores.

In architectura per Bramante, Baroccio, Serlio, Sansovino, Fontana, quisque per Michel Angelo Buona-

rotti, qui unice possedit illam artem. Sed omnia primum rediviva quasi facta per Leon Battista Alberti; et per Brunellesca. Hodie novis ideis repleta est, praecipue a Dno Borromini; hodie Carlo Fontana et Foggini.

15. Julii.) Bononiae Academia scientiarum imprimis acta penes Lelio de Vulpi, scilicet: „de Bononiensi scientiarum et artium instituto, atque academia commentarii Bononiae 1731." Prima pars continet historiam Academiae, qui fuerint, quae scientiae; pars altera: quae ab Academiae ortu usque ad annum 1724 tractata sunt, titulis 9 divisa est, ad naturae historiam spectantia, Chimica, Anatomica, Medica, Physica, Mechanica, Analytica, Geographica, Astronomica, Meteorologica; Bononiae in 4o.

In litteris Domini Poleni Pataviae ad Eruditos aliquos observandum est: 1) Quod saepius viderit Mercurium in disco solari, et cum intraret, quod fuerit figurae ovalis, dein rotundae, signum, quod circum se Atmosphaeram habeat; Parisienses vero dicunt fuisse Mercurium rotundissimum etiam, cum intraret; apparebat Mercurius in sole tanquam exigua quaedam macula, et aequabat 10." 2) De aquae erumpentis quantitate: quod per unum minutum per foramen 3 lin. diamet. sub altit. 13 pedd. effluet aqua 691 pollic. cubic. in Cylindrum redacta aqua dat Cylindrum 1173 pedd., cujus basis 3 lin. diamet. At vero corpus labens in vacuo ex altitud. 13 pedd. potest per celeritatem acquisitam percurrere 1680 pedes. Auctor instituit etiam experimentum ad eandem altitudinem 13 pedd., et foraminis diamet. 3 lin.: in lamina tenuissima ferri excurrit intra minutum 607 poll. cub.; in lamina cuprea, sed trunci instar, excurrebat 627 poll. cubic., sed quum inverteretur lamina, excurrebat 713 poll. cub. Quum applicaretur foramini tubus Cylindr. longit. 13 lin. intra idem tempus effluebant 809 poll. cub. aquae, minor factus est tubus, et conice excavatus est, tunc effluebant 889 poll. cubici; adhuc magis diminutus, ut esset modo 7 lin. excurrebat 907 poll. cub. Hoc reductum in celeritates acquisitas, sunt ratio-

nes: 1030, 1064, 1210, 1373, 1508, 1536 pedd. Addit Buteoni librum de fluentium aquarum mensura, anno 1554, cum notis. — Borelli scripsit de motu animalium, aperuit Mathematicis et Medicis spatiosum campum. Bernoulli etiam de motu musculorum multa inquisivit. Vercelloni: Psychologia, seu motuum animalium et reciprocorum machinae animalis theoria medica, omnes humanos actus aut optica, et facili quamvis hactenus inaudita methodo explanans, Asti.

[Pag. 46 ff.]

20. Julii.) In camera rerum naturalium Dresdae fui, comitante Domino Michaeli et Domino Ruger. Ibi primum observata sunt diversissima petrificata in lapide scissili, omnis generis in calcario et argillaceo albo. Lapides figurati, Crystallini omnis generis. In regno vegetabili ultra 400 species lignorum; 4 statuae ex cyparisso bene odorantes, corallia diversi generis et coloris. In regno animali omnis generis animalia, illorum sceleta, cervus, ex pure cornibus ustis factus, [?] equus longissimae caudae, animalia sceleta etc. In anatomia cranium humanum vastissimum, diversi generis lapides in animalibus et hominibus, virgo barbata, insane magni capitis. In regno minerali auri nativi magna frusta, argenti pariter nativi, et minera omnis generis metallorum: in cupro, cuprea caementaria, in ferro, ferrum nativum, flores ejus diversi generis etc. etc. In Astronomia specula, magna ustoria, instrumenta, specula convexa et horologia magna.

21. Julii.) Ad Pragam, seu Bohemiam profectus sum. Illuc veni die 23. Juli, quum pertransiverim modo duas urbes admodum exiguas: Budin et Welwarn.

23. Julii.) Ad Pragam perveni, et in domo seu diversorio, Tein vocatum, hospitatus sum.

Per urbem Pragam spatiatus sum, illam videndi gratia, et 1) super pontem illum, 18 arcubus instructum, super flumen Moldau, ubi diversissimae statuae sunt, et

utrinque ab extremitatibus turres, ubi adhuc conspiciuntur globuli, quos anno 1648 injecerant Sueci. 2) Ad templum cathedrale Sti Viti ubi videre contigit sepulchrum Martini Sobieslav, ubi a duobus lateribus sunt bina altaria argentea, supra est Cor, puro auro constans etc. Circumcirca altare sunt dona sacrificalia immensi numeri ex argento, sunt corda, pedes, comae et mille alia. Extra templum videre licet turrim satis egregiam, et picturam, quae integrum fere latus occupat, jam per 10 annos ab imbre laesum. Nondum videre contigit sacellum Wenzeslai et reliquias. 3) Etiam domum archiepiscopi intravi. 4) Aliorum, ducum et comitum egregia palatia. 5) In templum Loretto seu Capucinorum intravi, ubi templum, seu sanctum illorum est exiguum; circumcirca sunt ambulacra, picturis et sacellis et altaribus constipata. 6) Ibi in St. Loretto videre contigit illorum thesauros, ubi Monstrantiae, urnae, cruces, vasa, ornamenta altarium etc. ex puro argento conspicere licuit; etiam ex auro multa; in una monstrantia tanta congeries unionum fuit, ut admirari non satis possem. Sed excellebat una monstrantia, a comitissa illuc donata constans 6666 adamantibus, etiam magnis pluribus, ut constarent pretio 2 à 3000 thalerorum imperialium, hoc omne vero constabit 150,000 ad 200,000 Gyllen, seu 75,000 ad 100,000 thaleris imperialibus. Videre etiam contigit locum, ubi Comitia frequentantur, quod fit quater quovis anno, etiam locum, ubi e fenestra ejecti sunt tres viri, et innocui delapsi; columnae ibi sunt erectae, etiam statua cuprea Sti Georgii. Exinde etiam videre licuit totam urbem, quae satis magna est, et pariter locum, ubi feminae contra maritos dimicaverunt. Illarum palatium ab arce, ubi Lobomisia, Wenceslai mater, cum curru et equis sub terra elapsa et absorpta est, et plura alia. 7) Dein etiam templum Sti. Nicolai seu Jesuitarum, qui plura templa et egregia aedificia possident. Sunt in urbe ultra 100 templa, et 50 monasteria; sunt fere 80,000 homines. 8) Judaeorum forum et illorum civitatem etiam transii; omnia ibi immunda et sordida fuere. 9) Ex

monte illo, quo surgitur versus templum Cathedrale, totam urbem conspicere licuit, etiam templum, in quo conservatur lignum ex Roma illuc convectum a diabolo. 10) Curiam etiam cum horologio illo artificiali, quod omnis generis horas monstrat, pariter lunae periodos, pariter diversi generis statuas, hic et ibi in plateis et foris locatas.

[Pag. 55 ff.]

Die 25. Julii.) In monasterio Jesuitarum urbis antiquae seu Altstädtischen Jesuitercloster fui, ubi primum admirari licet domus magnificentiam; est amplissima, usque palatium aequans, si non superans; ambulacra spatiosissima habent, et circumcirca tam in inferiore, quam in superiore est contignatione; nullum Pragae palatium hoc superat magnificentia et amplitudine. Pariter Gymnasium, ut etiam templum habent; quod templum attinet, est exiguum, sed elegantissimum; columnae ibi marmoreae sunt, marmor pretiosius dari nequit, figurae in illo ludunt, per colorum variationes, tamquam essent dendrites Italicae. Hoc marmore nihil pulchrius mihi videre contigit; in Bohemia dicitur effossum esse. Intravi dein Cameram illam mathematicam; ibi diversissima instrumenta mathematica vidi; sed quae oculos tenuere, erant illorum artificia mechanica et optica, quae aliqui possidebant, ut illis possent illudere simplicibus, ut machina, cujus ope tympana a juvene pulsabantur, et simul labia et oculi, et caput moverentur; ut globi artificiales, qui per mechanismum interiorem ostenderent gradus solis in ecclipticа, horologium, quod non modo sonaret et melodias sonaret, sed etiam indicaret in globo solis motum, et quae regiones solem in meridiano haberent, vel quos praeteriisset, et quae hora unicuique esset; pariter picturae, quae aliam faciem induerent, quod factum est per machinas; in Opticis, ut Cameras obscuras diversi generis, intus repraesentantes figuras respectivas tamquam vivas; tum etiam specula aliquot caustica, unum metallicum, seu cupreum auratum metallicum; et

literas et libros Chinenses, eorum Astronomias, et literas, a Caesare illorum scriptas, et plura alia, quae unice tendunt ad illudendos illos, qui simplices sunt. Habent etiam turrim astronomicam egregiam. Intravi etiam Bibliothecam illam ornatissimam, sed libris vetustis modo constantem, et in manuscriptis antiquis a Patribus et Euclide et aliis; ornatissimus est locus, sed libri plerique vetusti et a parte Scholasticorum; monstrabant mihi Biblia Germanici idiomatis ex Latino a Rudigero translata, et anno 1483, seu 34 ante Lutheri versionem, edita; dein etiam videre contigit illas picturas in emblematibus, quas disputationis loco publice defendendas sistunt; pictura adest elegans, quae parietibus affigitur. Sunt officiosissimi, in una illa domo praeter ministros sunt 200, alibi etiam circiter 200; non recipiuntur nisi divites et ingeniosi.

Inde ad montem illum Auconium ignivomum me contuli, ubi ignis ante aliquot menses propullulare dictus est; est modo immensa et multorum annorum congeries cineris, terrae, luti, argillae, ligni, stipularum, calamorum, quae illuc per annos fere 1000 congestae sunt, et in ingentem cumulum sic creverunt; abundat haec congeries nitro et sulphure; accedente sic aqua ignem concipit, quod et videre licet ex eo, quod prope hunc montem seu cumulum exstructa sit domus, ubi nitrum ex terra illa excoquitur, quae illi vi maxime idonea est.

Ordines monasticos etiam inquisivi, praecipue 4; Capucini habitu vestiuntur rudissimo griseo, cum fune circumcirca; Benedictini sunt in albo; Jesuitae in nigro; Dominicani in albo et nigro.

De ordine particularum: 1) Ex motu spirali entium. 2) Ex motu spirali particularum primarum. 3) Ex motu secundo particulae primae. 4) Ex motu secundo particulae secundae. 5) Particula prima elementaris minima et magnetica una cum modo compressionis ejus. 6) Ejus globus per compressionem. 7) Particula secunda elementaris seu vere magnetica, deque statu expansionis et compressionis etc. Ex tomo 3tio principiorum

adducuntur illa, quae de motu vorticali et prima solis obscuratione et discussione crustae ejus acta sunt.

28. Julii.) Vidi Capellum et sepulchrum Sti Wenceslai, quod pulchrum satis est, et cujus parietes constant lapidibus pretiosis, ut Jaspidis, et aliis perlucidis, sed formae rudis, appositis; coloris eae rubri, violacei, rubescentis, flavi.

29. Julii.) me a Praga ad Carolibadium contuli; est distantia 14 milliarium Germanicorum.

30. Julii.) Carolibadium perveni; ibi observare licet: 1) Quod editissimis montibus undique sit circumvallatum, qui omnes nemorosi sunt, et constant lapide griseo ignobili. 2) Urbs non magna in valle hac profundissima sita, et in sinu profundo inter tot montes editos. 3) In media urbe est fons calidissimus, qui maxime ebullit, estque ferventissimus. 5) Inde per canales ad omnes domos pone fluminis ripam sitas deducitur, ubi balnea dantur. 6) Est etiam alius fons tepidior, ex monte excurrens in unam urbis extremitatem. 7) Sub flumine est canalis ejus; audiri potest murmur, etc. 10) Ubi sub terram fluit, sunt incrustationes crassissimae lapidum instar. 11) Quae sub terra sunt petrificationes vel incrustationes, sunt coloris varii, sunt duri et compacti, possunt poliri . . . .

6. August.) Ex Carlsbadio ad urbes metallicas, quae in vicinia Saxoniae sitae sunt, profectus sum, et primum perveni ad Schlackenwalde, urbem exiguam, sed stanni feracem, pariter etiam oppida ei vicina Schönfeld et Lauterbach, quae communem causam agunt, quia vicina sunt, et omnia stanni sint feracia. Prope Schlackenwald sunt plures fodinae, et quidem ad Schlackenwald est opus principale, non procul ab urbe, unde procedunt plures ejus venae et ramificationes; binae ibi fodinae sunt glandulares, seu Stockwerk, una etiam ad Schönfeld; minerae non in eisdem fornacibus et eodem plane modo tractantur, quae ex Stockwerk, quam quae ex venis ejus varie inde effusis eruuntur. Pariter est etiam differentia quaedam inter methodum fun-

dendi mineram stanni Schlackenwaldiae, quam quae est Schönfeldiae; ipsi dicunt causam, quod venae differant, quae in ipso nucleo seu corde sunt, ab illis, quae inde ramificantur seu venarum instar prodeunt; praecipua differentia consistit in fornacum et orificiorum ventilatoriorum constructione et dimensione.

Fodinae sunt admodum profundae, ad Schönfeld 3 ad 400 ulnarum, alibi nonnisi 100 ad 150; ipsae venae in ramificationibus interdum vix 1 ulnam, interdum $^1/_2$ tantummodo aequant; sunt etiam angustiores, sed tamen usque in illis frangitur vena, quae dives est. Quod ipsas venae species attinet, est 1) illa, quae ditissima, Zinngraupen vocatur, estque duplicis generis, albissima et nigerrima, et ideo, quia albissima datur et nigerrima, hinc colores et intermedii obscure flavescentes, sed hae venae ponderosissimae sunt, et se a reliquis distinguunt, quod angularis formae sint; album datur in massis majoribus, non ita figuratio ut nigri generis; genus album rarius est nigro, seu obscuro flavo. 2) Est Wolfram, etiam ponderosissimum et nigerrimum, in easdem figuras crescens, sed intus aculeatum et striatum est, usque tamen nihil stanni comprehendere visum est, sed multum detrimentum afferre ipsi stanno, si una cum reliquis fundatur, hinc tamquam spurium et noxium ejicitur. 3) Praeter dicta minerarum genera vilia sunt alia communia, quae Zwitter et maulven vocantur; sunt ipsissimae minerae communes stanni, nec absimiles sunt saxo communi griseo, praeter quod inibi inhaereant puncta nigra et obscure flava angularia; saxum, cui interspersa sunt, est coloris albi et flavescentis, etiam in sterili nitido conspersa apparent dicta puncta, quae adhuc distinctoria fiunt, cum lapis semel [in] ignem calcinatorium transmissus sit; hinc alba pars lapidis et nigrae minerae stanneae evidentius apparet. Datur minera, quae vix a lapide griseo oculis distingui potest; hinc fit hoc per probationem invadendo per aquam; conteritur in pulverem minera, et dein per lavationes et successiones separatur pars ex ponderosis a leviori. Hinc statim videre licet,

quantula pars minerae vere stanneae inesse posset, et quantum lapidis. Metalla, quae mineris stanni hic praecipue adhaerent, sunt cuprum et marcasitae, quae ei solent inesse, pariter etiam ferrum; marcasita abjicitur, nam ob illam redditur stannum fingile et durum; frangitur etiam circa mineram stanni etiam aliquid argenti. Minera haec communis calcinatur seu prima vice crematur subdiu; camini calcinatorii sunt formae fere quadratae, ex saxo communi exstructi, majores et minores secundum libitum, et eis plerumque supponi solent 5 vel 6 lignorum scissorum et $1^1/_2$ ulnarum longorum Klafter; unum Klafter est quantum par equorum illuc possit advehere. Minerae majores ad parietes supra caminos relocantur, intus vero in cumulo minores, seu indistincte minores et majores. Pariter intermiscetur pulvis; ab anteriori parte est apertura quaedam prope solum, quod accenso igne primum aperitur, dein occluditur, ut diutius in cumulo durare possit ignis. Sunt cumuli magnitudinis ad libitum, plerumque, ut contineant 60 fuder; unum fuder constat 60 vasis minerae; cumque accensus sit ignis, aperto foramine anteriore, quod ducit ad lignorum struem interiorem, et dein clauso liquare solet per tempus 3 septimanarum. 3) Minera haec sic prima vice et subdiu calcinata sub pila tusoria mittitur, ut in pulverem comminuatur; sunt in una domo plura pila, in quavis cista, secundum morem communem tria, et tales cistae sunt in una domo 4 vel 5; pila sunt admodum ponderosa, ferro praegrandi infra munita seu suffixa, et functionem suam ex ordine peragunt, ut solitum est. 4) Pulvis hic contusus lavatur in canali quodam, perque recoctiones separatur pulvis crassior, qui ponderosior est, ab illo, qui est levior; dein transfertur super areas lavatorias, pannis, seu cespitibus instructas, et ibi more solito lavatur, eo usque perstat lavationis hoc opus, dum nulla pars lapidea residua sit, sed modo pura minera appareat. 5) Quum minera sic pulverisata sit, et separata pars metallica a saxea, tunc in furnum, panifico non absimilem, seu in talem, qualem Saxones usurpant calcinandi suas

mineras argenteas. Furnus ille laqueatus est, longitudine 6 ulnarum circiter, latitudine 4, et altitudine $1^1/_2$; apertura est semicircularis; illic multa copia immittitur pulvis, et ubique tam a parte anteriore quam posteriore immittuntur ligna, quorum ope magis magisque candescit, et ignibus pulvis mineralis continuo ligna superinjiciendo. Pulvis hic candescens perpetuo circumagitatur, et qui anteriora tenet, promovetur versus posteriorem suam partem, et vicissim, observando, quod non multa crassilia teneat, modo pollicis; quumque sic continue agitatur, non confluendi in massam tempus ei relinquitur. — Perstare haec calcinatio solet 14 ad 18 horarum spatio, quoque melius calcinatur in hoc dicto furno, eo melius dein in stannum separari et liquari dicitur, et eo mollius meliusque evadit stannum. Peracta crematione relinquitur in furno per 2 vel 3 dies, dum frigefactus sit, sicque omne sulphur noxium a minera illa abigitur. 6) Sic calcinato pulvere minerali, non conflatur in massas, sed remanet pulvis, ut prius, et exemtus furno lavatur super areas obliquas, plane ut prius, et hoc eo usque, dum nihil nisi pars gravissima, nigra vel alba, remaneat; si quid rubri, signum est insuffiicientis adhuc lavationis seu secretionis.

Fornaces fusoriae sunt in Schlackenwald, simul et in Schönfeld numero undecim, sed differunt aliquatenus quoad constructionem et dimensionem interiorem. Dantur fornaces, quae paria seu binae simul sunt in una domo, adeo ut quum in una peractum sit liquationis opus, continuari statim possit in altera; dantur etiam, ubi fornaces simplices sunt, et in quibus, peracta opera fusorea, post frigefactionem, post aliquantum temporis spatium repetitur opus. Fornaces Schlackenwaldienses, ubi minera glandularis est, seu ex fodina glandulari, sequentem habent rationem altitudinis et latitudinis, seu constructionem: saxum fundamentale, ubi focus est, seu ubi liquamen stanni est, ab ipso solo domus seu officina $1^1/_3$ ulnarum circiter super exstat; extra saxum hoc fundamentale, quod a solo $1^1/_3$ uln. super exstat, est foramen seu

aculeus. Saxum fundamentale est pure saxeum, nec supra instruitur aliquo pulvere carbonaceo et argillaceo, estque horizontaliter fere locatum, exiguissime tantum versus anteriora obliquatum. Ad oppositam partem est orificium ventilatorium, ad multam satis obliquitatem versus interiora tendit; longitudinis est $^2/_3$ pedis, constat pura argilla et saxo; per obliquitatem ejus rectum videre licet foramen anterius, per quod liquamen continue effluit. Folles sunt coriacei, non admodum magni. Constructio interior fornacis est similis figurae [A]; angustior a parte anteriore, quam a posteriore, ad partes, ubi sunt folles, figura est latior; pars aa est 9 pollicum, pars bb est 11 pollicum. Longitudo (ab) est 22 pollicum; altitudo fornacis interior usque ad aperturam, ubi pulvis mineralis injicitur, est $5^1/_2$ ulnarum a lapide focali. At vero fornaces ad Schönfeld sunt angustiores; pars anterior (aa) 6 poll. est lata, posterior (bb) 9; longitudo (ab) dicitur modo esse 13 poll. Rationem dicunt esse, quod vena sit ex nucleo seu Stockwerk, quae alium angustioremque locum seu fornacem requirunt; dein excipit fornacula, quae principio amplior est, dein sub tecto arctior.

Fig. 1. est follis muri anterior et externa; c est foramen, per quod continue effluit liquamen; d est tigillum, in quod continuo novo fluit stannum; b est locus, in quem scoriae elevantur, et inde conjiciuntur in aquam, et in pulverem comminuuntur; quum tigillum d sit repletum, perterebratur foramen e, et emittitur in receptaculum f, quod est in solo, quod ex puro saxo est, in quo talis puteus incisus est. Follis cohaerentis fornacis est fig. 2; h est fornacula superior, ik est, ubi imponitur pulvis mineralis una cum carbonibus, lm est canalis, ubi pulvis jacet, et cui insistit ille, qui emittet pulverem cum carbone. A parte altera ad faciem fig. 1. sunt folles cum suo orificio ventilatorio.

Quod impositiones attinet, non ubique loci sinunt similibus reponi momentis; ut plurimum, quater quavis hora quadrante, seu 16 vicibus per spatium horarium; alias vix nisi 12 vicibus, si minera egena, seu difficilis

liquatu sit; qualibet vice imponuntur 2 spadae et unum vasculum carbonum. Pulvis mineralis miscetur cum pulvere scoriarum, quae scoriae pulverisatae bis fornacem transmitti solent, antequam abjiciuntur. Carbones admodum humectantur, seu in aqua macerantur; stipantur superiora sic per carbones, ut nullibi erumpere videatur flamma; principio aliquot vascula carbonum imponuntur, dein super imponitur minera more solito.

Opus hoc fusorium continuari solet in una fornace 18 ad 24 horas, sed in fornacibus angustioribus usque ad 30 dies, et sic porro. Liquamen stanneum continue per foramen anterius effluit in tigillum superius, ubi tam diu tenetur, dum tantum ejus collectum sit, ut amitti posset. Interea se super liquamen locant continue scoriae, quae eximuntur, et prope ad latus relocantur, unde excipiuntur, et in canalem aqua plenum conjiciuntur, ut ibi in pulverem diffluant. In abaco quodam prope stante ulterius adhuc comminuuntur, et sic cum pulvere minerali commiscentur, et simul fornacem transmittuntur. Ex scoriis videre licet, quale sit opus fusorium, num difficile, vel non, num multum heterogenei insit, vel non; si enim crassiores et tenaciores sunt, signum est, nullum heterogenei inesse, et ejus fusionem seu secretionem esse difficiliorem, unde ignis moderandus et temperandus est.

Quum stannum in tigillo superiore collectum sit, derivatur deinde in puteolum, in saxo incisum, quod super solum relocatum seu infossum. Puteolus ille tam capax est, ut excipere possit quantitatem 2½ centenariorum circiter; tale pondus obtinetur inter spatium 6 horarum; intercedunt plerumque 2¼ vel 2½ horae, ut obtineatur centenarius stanni, hicque ex 2 centenariis pulveris mineralis stannei. Centenarius hic est admodum gravis, constans quidem 100 libris, sed idem Pragae 120 ℔, et Norimbergae 140 ℔; pro 51 gulden divenditur centenarius; circa 11 has fornaces seu officinas quolibet anno conficiuntur 1200 centenarii stanni circiter.

Praeterea ex areis lavatoriis et ex cistis tusoriis effluit etiam pulvis mineralis in amnem adfluentem, sed

multis in locis sistitur amnis ille per obices, et pulvis excipitur, et super areas, modo vulgari constructas, lavatur et secernitur, sicque in fornacem defertur.

Die 7. August.) Perveni ad Lauterbach. Funditur etiam ibi minera stanni; una est ferrea, adhuc memoratis angustior; minera ditior est, et matrix ejus ad flavum magni accedit.

In via ad Altsattel vidi officinam ferrariam, pariter sub eodem tecto fornacem minerae ferri fusoriam; quae altitudinis erat tantummodo 4 ad 4½ ulnarum, latitudinis seu diametri 1¼ uln. in medio; rotunda enim intus erat; per gradus ad aperturam a latere ascendere licuit, ut sic commode impositiones fieri possent. Intra septimanae tempus imponuntur circiter 30 ad 40 centen. minerae ferri, et quovis die 1 fuder carbonum; inde per septimanam obtinentur 12 centen. ferri. Ipsa minera satis egena est, palustris, crustacea et pulverea, coloris fere flavi. —

Ad Altsattel elixatur Victriolum, et sublimatur sulphur. Quod sulphur attinet, est furnus 2½ ad 3 ulnas altus, cum 12 aperturis supra per tectum, per quas erumpere possit flamma; furnus longitudinem intus habet 9 ulnarum, latitudinis 3; ad quamlibet ejus extremitatem patet similis exitus seu janua; circa binas partes extremas est latitudo ejus 3¼ uln., nam frontispicia sunt latiora; ipse furnus, ubi ipsi canales seu urnae sublimatoriae sunt, minorem ibi longitudinem, scil. 7 uln., et latitudinem 1½ uln. habet; sunt bini ordines urnarum sublimatoriarum, superius 5, inferius 6, simul numero 11 sunt, quaelibet diametri ½ pedis argillaceae; a parte, ubi colligitur sulphur, prostant magis, et lapis latentius super inlocatur, et mox subjungitur recipiens ferreus quadratus altit. et latit. ¾ pedis; tegumentum lateritium oblique aptatum est, quod demi potest; circa juncturas hujus et lapidis lateritii superioris patet foraminulum pro fumo; in recipientem hunc paullatim stillat sulphur, quod quavis 6ta, 8va hora evacuatur. Intra 24 horas ter in urnas injiciuntur pyrites, qui per 6 horas cremantur; per

2 horas perstat labor ille evacuandi, et novos interim immittendi; ignis per 24 horas est continuus. Urnae sublimatoriae fere replentur hoc pyrite; sulphur dein purificatur; pyrites est candide granulatus, instar cobalti, ponderosus. Opus hoc ad comitem Nostiz pertinet.

Hoc die urbem Falkenau satis elegantem pertransivi, ubi olim habitabat Comes dictus von Nostiz; est urbs satis elegans.

Sub vesperam perveni ad Bleystadt, urbem in monte editissimo sitam, et circumcirca montibus pariter editissimis cinctam; infra profundissime fluit amnis; jucundissimus ejus urbis est situs. Mineras plumbi habent, quae divenduntur, praecipue ad Joachimsthal, ubi etiam funditur.

8. August.) A Bleystadt profectus sum ad Grötzlits, pertinet ad comitem Nostiz, ubi opus cupreum est. *)

9. August.) Perveni ad Platten, ubi tantum frangitur minera stanni partim in materia arenaria, partim in scissili; praeterea non procul abinde praeparatur color caeruleus.

Color caeruleus praeparatur modo sequenti: 1) Miscetur 1 pars seu 1 Cent. cobalti, 1 Cent. ciner. clavellati, et 2 Cent. arenae candidae. Quod Cobalt attinet, illud adfertur e Joachimsthal; cineres clavellati nigri calcinantur in furno, qui similis est furno panifico. Arena conficitur ex Quartzio candidissimo, quae subdiu primum crematur, et dein in furno, qui prope illum furnum est, seu ei adhaeret, ubi funditur haec dicta mixtura, adeo ut coctio et calcinatio altera uno eodemque igne perfici posset; exinde fit arena candidissima et subtilissima; alia mixtura adhibetur, si cobaltum aut cinis non aequalis bonitatis sit. 2) Furnus hic est fere rotundus extra, 4 foraminibus patens, quae ad urnas seu tigilla inclusa tendunt, in quibus liquatur mixtura; sub illis etiam subnexa sunt foramina, per quae scoriae emittun-

*) Longam ejus descriptionem Autor ipse rursus delevit; sed videantur quae de eo inseruit in Opere Regnum subt. de Cupro. Dresd. 1734. p. 184. 358.

tur. A tergo suo antrorsum sunt aperturae seu januae pro igne, per quas ligna injiciuntur; ignis temperari potest per apertionem majorem vel minorem januae anterioris. Appendix ejus est furnus quadratus, ubi arena iterum crematur; furnus est fere quadrangularis intra, pavimento cuidam insistunt urnae, per quod patent foramina, per quae erumpit ignis. 3) Quatuor urnae super pavimentum hoc relocantur, ex argilla durissima factae; urna est diametri 1 ulnae, altitud. 3/4 ulnae. 4) Inibi reponitur dicta mixtura, et igne subjecto liquatur; quavis 8va hora effunditur liquamen, seu ter inter 24 horas; interea tenetur in continua fluxione. 5) Ad imam partem urnae sit foraminulum, per quod effluere possit pars ejus ponderosior, quae fundum tenet; dicitur esse scorias, quae ponderosae sunt, et in fractura instar cobalti apparent; hoc bis iterumque miscetur cum dicta mixtura, scilicet pulverisatur et miscetur, quamquam his superimpositum sit, nullus inde color caeruleus amplius elici potest, tum ejicitur, et vocatur Speiss, estque nullius usus. 6) Liquamen ex urnis conjicitur in aquam, ubi in frusta divisa abit, et dein pulverisatur, et in colorem caeruleum praeparatur.

In alia officina hanc mixturae rationem didici — sunt enim plures officinae inter Platten et Hansjürgenstadt — scilicet 6/4 seu 1½ cent. cobalti calcinati et contusi, 3/4 centen. scoriarum, ex tigillis seu urnis effluentium; 2 centen. cineris clavellati, et 4 cent. arenae, quae mixtura simul funditur, quae fusio perstat 9 horis. Scoriae, quum bis vel ter superimpositae sint, habetur Speiss, quod in fractura apparet instar ferri crudi granulati, sed nullius pretii, rejicitur. Quod vero ipsum cobaltum attinet, prout crudum venit ex fodina, in furnum panifico similem immittitur, qui longit. et latit. est 4 uln. circiter; inibi more sueto calcinatur; pro furno per anteriora patet exitus, adeo ut statim in altum nitatur, quum furno erumpit, abitque per fornaculam in liberum aëra; ipsa apertura satis exigua est. Cobaltum sic calcinatum contunditur bene sub pilis et cribratur et commiscetur.

Praeparatio ulterior coloris caerulei. — Vitrum hoc caeruleum sub 3 pilis sicce contunditur, et per cribrum obliquum transmittitur, parsque, quae non transit, iterum contunditur, et per cribrum idem mittitur. 2) Tum 3 moduli, qui sunt vulgo altitud. $^1/_2$ ulnae, diametri $^3/_4$ ulnae, in molem immittuntur. 3) Lapides molares per rotam aquaticam circumducuntur. Lapis molaris constat saxo griseo communi crassissimo, in bina hemisphaeria divisus; inter bina hemisphaeria patet intervallum $^1/_3$ pedis. Crassities illorum est 1 pedis, diametri $1^1/_3$ ulnae; subter est lapis rotundus fundamentalis, ulnam fere crassus, super quem comminutio haec molaris peragitur. Lapides hi receptaculo capaci ligneo sunt inclusi, quod altitud. est $1^1/_3$ ulnae, diametri 2 uln. 3) Comminutio haec per molam continuatur circiter 6 horis, exque cista molari per pistillum emittitur aqua caerulea turbulenta. 4) Indeque in magnam cupam exantlatur, in qua quiescit aqua tantummodo per spatium $^1/_2$, $^3/_4$ vel 1 horae. 5) Quumque ibi tam diu substiterit, accrescit materia caerulea fundo glutinis instar firma, et aqua super instans in alias cupas capacissimas transfunditur, ubi remanet 24, 48, 60 horas, prout necessum est. 6) Quod in fundo hoc secundae cupae remanet, effertur, et dein in colorem dictum praeparatur. 7) Illud, quod in prima cupa in fundo remanserat, circummovetur diligenter, et nova aqua superinjicitur, adhuc sedimentum novum adhuc crassius obtinetur; aqua superinstans turbulenta pariter in alias cupas transfunditur, et sic iterum iterumque, dum color omnis et diversi generis habeatur. 8) Sedimentum hoc bonum siccatum comminuitur, nam intra parum temporis duritiem trahit, sive relocatur extra domum ante solem, si aër serenus sit, vel in magna cista, in loco, ubi siccatio peragitur; comminutio fit per manum, et pulvis super pavimentum defertur, quod longum est 5 ulnas, latum 3, constat lapide; huc pulvis comminutus infertur, et sic sensim a subjecto igne siccatur; nam furnus quidam infra est quadrangulus, longit. 5 uln., latit. 3, et illuc ligna, plerumque ra-

dices arborum conjiciuntur, et fundus superior semper calidus sic tenetur ad illum gradum, quem opus requirit, sicque habetur color ille, Stenkelse vocatus.

10. Augusti.) Ex Platta ad Johann Jürgenstadt perveni, quae urbs abinde modo ½ milliaris distantia abest; ibi habetur cobaltum, bismuthum et stannum.

Quod stannum attinet, dantur 1) duplicis generis minerae, minera arenata stanni, et minera inscissilis; prior qui coloris fusce rubescentis, apparet angularis multum granulata; grana apparent majora et angularia. Ipse lapis est coloris albi, flavi, viridis, cui interspersa est minera: alterum genus est inscissilis, coloris nigrescentis et grisei, minutissime granulatum apparet. 2) Minera, quae non multum heterogenei possidet, sub pilis pulverisatur, et ter lavatur, primum in Schlammbank, seu in angusto quodam, ubi duo modo subsellia sunt, fitque lavatio per reactiones, ut solitum est; pulvis dein in areas lavatorias defertur, et quidem bis, et inde super fornacem; minera vero, quae vel cuprea, vel marcasitica, vel ferrea est, pulverisatur, et crematur in furno, qui panifico fere similis est; dein iterum ter lavatur, antequam super fornacem mittitur; in lavatione sensim abluitur, et defertur pars marcasitica et ferrea. 3) Furnus, in quo peragitur crematio, est panifico similis, multae capacitatis; ibi circumagitur continuo pulvis; perstare solet horis 8 vel 10, quoque plus heterogenei continet, eo plus crematur, et sic relinquitur in furno, dum frigescit. 4) Exemtus ex furno ter lavatur, primum in lavacro profundo et angusto, quod duplici subsellio tantum constat; pulvis primum ab alto decidit, et sic pergitur, dum pulvis crassior habeatur. Lavacra non sunt longa, sed brevia. 5) Fornax fusoria est altit. 3 vel 3¼ uln., infra 8 poll. latit., 10 poll. longit., supra 12 poll. latit., et 16 circiter longit: sic versus superiora ampliatur; dein excipit fornacula pro fumo, quae satis ampla est, et fornacem inferiorem quasi includit. 5) Folles sunt coriacei, orificium ventilatorium, ex pura argilla, admodum obliquum; secundum obliquitatem est 8 vel 9

pollices longum; ipsum foramen est rotundum, diameter ejus 2 poll., admodum angustum, Schlackenwaldiae vero amplius; ipsa obliquitas exactissime aptari debet, ut scilicet spectet foramen anterius, per quod effluit stannum; nisi exactissima sit ejus obliquitas, multum stanni perit. 6) Extra fornacem sunt bina tigilla, unum 7 vel 8 poll. circiter infra foramen effluxionis, alterum, in saxo excavatum, formae ovalis, infra superius 9 vel 10 poll. circiter; illuc a superiori defluit perpendiculariter. 7) Una Fuhr ut vocatur pulveris mineralis nec illa plena, quavis vice superimponitur, et insuper vasculum carbonum; quavis hora ter circiter fiunt impositiones, vel magis minusque temporis, prout melius aut difficilius liquescit. 8) Liquamen continue fluit ex fornace in tigillum superius, et inde in inferius emittitur semel quavis hora, plus vel minus, prout multum, vel parum stanni suppeditatur. 9) Opus liquationis per 10, 20, ad 48 horas continuari solet. 10) Principio lenta et difficilis peragitur, antequam fornax sit calefacta, praecipue quam nondum scorias recentes nacti sunt; dein exmiscentur scoriae recentes cum pulvere minerali, unde optime fluit, haeque scoriae hic vel pluries imponi possunt, prout ipsa minera requirit. 11) Stannum liquidum emissum ope cochlearis inde in abacum ferreum exhauritur, adeo ut tenue fiat, illud per abacum huc et illuc fundendo, dum tenue fiat et cohaereat lamina, dein signatur 3 sigillis. Lamina dein convolvitur, et ope mallei super saxum compingitur in volucrum quoddam, adeo ut tenue sit, et facile fundi possit. 12) 5, 6, vel 7 hujusmodi volucra obtinenda quavis emissionis vice, quod fit semel qualibet hora circiter, et quodlibet volucrum ponderis est 5, 6 7 librarum, et tribus in locis signatum.

F o r n a x f u s o r i a f e r r i p r o p e H a n s j ü r g e n s t a d t i n B o h e m i a. Fornax haec fusoria extra est formae quadratae, prout vulgares, sed observandum est, quod parietes pectorales, ubi scilicet folles relocantur, pariter ubi emittitur liquamen ferreum, adeo ut facies illa integra et perpendicularis possit conspici, nec, ut in

Suecia, oblique ascendit. 2) Orificium ventilatorium est cupreum, plane factum, ut in caminis ferrariis; horizontalis est ejus situs, conica figura, extra amplior. 3) Focus paratur ex lapidibus arenareis, quorum duo ad latera sunt crassitie $^3/_4$ uln., longit. $1^1/_4$ uln.; saxum fundamentale est latit. $1^1/_4$ ulnae, quae etiam longitudo foci est, et latitudine non multum differt. Altitudo fornacis est 8 ad 9 ulnarum ad superiorem aperturam; intus est formae quadratae; apertura superior quadrata est $1^1/_4$ uln., amplior ad ventrem, et auctior versus tigillum inferius. 4) Emissiones fiunt bis, vel plus quavis die, et quavis vice 10 ad 12 cent. circiter; focus est 12 centen. capax. Dicunt, quod quavis hora accipiant 1 centen. ferri, seu per septimanam 130 cent.; ad quemvis centenarium paene consumuntur $1^2/_3$ kübel carbonum, hoc est 20 tonnae; 5 faciunt 1 fuder, in quo sunt $3^1/_2$ lestae Suecicae circiter. Opus fusorium dicitur ibi per $^1/_2$ annum continuari; ipsa minera est rubra, tamquam Schiefer, et ferrum bonum suppeditat.

Officina ferraria ibidem. Caminus est modo vulgari exstructus; tigillum paratur ex laminis ferreis; crassissima est remotior illa; profunditas tigilli est 8 poll., longitudo $1^1/_4$ ulnae, latitudo 1 ulnae circiter, conus ventilatorius ex cupro, admodum oblique locatus. Per septimanam funduntur 32 centen. ferri, et in virgas curtas extenditur. Consumuntur 75 Kübel carbonum seu 50 lestae, adeo ut ad quemvis centenarium $1^1/_2$ lesta carbonum: quavis vice funditur 1 ad $1^1/_1$ centen. circiter; frusta ferri crudi longiora sunt 4 uln. longit., et 5 ad 11 centenarios pondere aequant. Massae, quae ibi funduntur, quavis vice 1 ad $1^1/_2$ cent. ponderis habent. Scoriae scintillantes multa densitate parietibus adhaerent; totus caminus est admodum amplus et spatiosus, longit. et latit. fere 4 ulnarum.

Opera tusoria minerae argenti ad Hans Jürgenstadt. Hic non funduntur minerae, quae in fodinis obtinentur, quia deest illis plumbum, sed divenditur pulvis contusus ad Fresstadiam, ubi copia plumbi

est, et melius per fornaces altos potest transmitti, et in argentum inde exsudari. Fodinae hodie optimae sunt: „Neue Jahr" et: „Der unverhoffte Gluche"; minera frangitur ibi Weissgulden, Glaserz et aliae species; plurimae fodinae sunt sub ipsa urbe; patet 20 locis ad illos aditus, ad pedem illius montis. Quod contusionem attinet, observandum est: 1) Quod ditior minera tundatur sicce tantum sub uno pilo seu malleo, et sic aufertur, et per cribrum transmittitur, pars grandior item contunditur, nec lavatur haec prout minera levior, sed contusa sicce Freibergam mittitur. 2) Minera levior seu pauperior contunditur sub malleis seu pilis tusoriis tribus juxta pilum superius; sed caput capsae est cista, seu vas triangulare, quod hypomochlio cuidam incumbit; hoc impletur minerae frustis majoribus et minoribus; huic vasi seu receptaculo circa anteriora est baculus affixus, quumque tantum minerae sub pilis sit pertusum, ut plus requirat, tunc trudis quaedam, pilo labenti affixa, in lignum seu baculum hunc erectum labitur et percutit, et simul agitatur ipsum receptaculum hypomochlio suo incumbens, cumque sufficiens copia sub pilis sit, tunc trudis illa baculum illum non contingere potest; receptaculum hoc plurium centenariorum capax est. 3) Aqua continue influit, et quidem in pavimentum quoddam, huic receptaculo suppositum; pila sunt admodum grandia et gravia. Ipsa pila distincta sunt per parva tabulata; in quavis capsa sunt 3 pila, aque primo incipit lapsus. 4) Ex tribus capsis influit aqua pulverulenta sed turbulenta in unum canalem. 5) Canalis modo binis subselliis seu gradibus constat; infra canalem est puteus quadrangulus; ipse canalis 8 ulnis longus est, sicque excipit puteus, ut dictum est. 6) Pulvis nobilior in primo canali exceptus lavatur in lavacro illo profundo et angusto, binis gradibus seu subselliis instructo, Schlammbank vocato. Inde subtilior pars defertur super aream lavatoriam, cespitibus instructam; pulvis a cespitibus ablatus defertur in tertium, qui nullo cespite praeditus est, et sic aufertur et conservatur. 7) Pulvis in fundo alterius canalis ex-

ceptus, statim in mensam cespitibus instructam transfertur, et sic aufertur. 8) Pulvis in puteo exceptus statim defertur in aream nudam, seu nullis cespitibus instructam, sicque ordine; pulvis sicce contusus continere solet 4, ad 20, 30 ℔ argenti in Centenario, reliquae a 4 Loth usque ad 3 marcas. Ulterius observandum est, quod extra domum etiam sint mensae lavatoriae, cum Schlammbank, Schlammherd, ut intra; lavatur ibi omnis pulvis in puteo extra domum exceptus admodum inops; fundus cistae est ferreus, daturque etiam saxeus, qui durissimus est, et malleo optime resistit.

Ipsa urbs est situata supra fodinas suas, 80 ulnas circiter alta; ad pedem montis ultra 20 patent introitus horizontales, Stoll appellati, qui ducunt ad omnes fodinas; unus est 4500 ulnas longus.

11. August.) Ad Plattam, primam Bohemiae urbem perveni, ubi nihil est, nisi aliqualis copia minerae stanni, sed ibi videre mihi contigit illorum Seifenwerk, ubi per lavationes ex cumulis obtinetur minera stanni. Sunt enim magni montes seu cumuli arenarei, etiam stanni minerae impraegnati, praecipue genere nigro, tam ex frustis magnis, quam exiguissimis pulvere: illuc derivatur aqua, quaeque per praeceps per talem cumulum ruit, et ubi aquae rivus fluit, ibi agunt huc et illuc arenam, dum ad fundum sedeat pars gravissima, levior superficiem teneat, quae abjicitur; tamdiu laborant, dum ad profunditatem quandam perveniant; dein derivatur aqua in latus, et pari modo per rivulum et continuas reactiones colligitur pars gravior stannea, et sic per totum montem ad quamcunque profunditatem ire licet, et circumcirca, quousque aqua possit duci.

Fornax fusoria stanni. Est modo hic una fornax fusoria stanni, et stannum illorum in volucra pariter compingitur; quovis bihorio emittitur a superiori tigillo in inferius volumen, seu in tigillum subjacens, quovis bihorio confici dictum est 10 ad 12 volucra stanni, cujus quodlibet 5 vel 6 librarum pondus aequat. Fornax intus est latitud. 8 poll., longit. 12; supra vero ejusdem lati-

tudinis, sed longitudinis 16; altitudo $3^1/_4$ ulnas. Orificium ventilatorium ex argilla obliquissimum est, et angustius, quam alibi. Ter quovis quadrante horae imponunt 2 spathas pulveris mineralis, et 1 vasculum carbonum humectatorium.

Minera, quae sulphurea est, calcinàtur sub divo; ignis in cumulo continuatur modo 4 vel 5 horis; reliqua minera in fodina calcinatur, prout de reliquis dictum est. Minerae egenae stanni hic ad Plattam pulverisantur sub pilis tusoriis sub divo sine tecto locatis; 3 sunt in quavis capsa pila, vidi etiam duo; extra est receptaculum minerae, quod obliquum stat, et ad primum pilum vergit; in illud etiam continuo fluit aqua, et inde in capsam. Duo patent exitus a capsa, sed in unum canalem confluunt. Canalis extra est, aliquantisper obliquus; ad finem ejus excipit area lavatoria obliqua, super quam deinde defluit aqua pulverea levior, et sic defluit; aliqui prope habent aliam aream, ut statim super illam possint pulverem iterum lavare.

Plurima sunt, quae edidici ad Hans Jürgenstadt et Plattam, ut 1) Quod ad Hans Jürgenstadt pariter ac Joachimsthal in fodinis ad profunditatem 100 ulnarum rotas et machinas aquaticas habeant, quarum ope exantlatur aqua, pariter rota, quae vento circumagi possit. 2) Ad Plattam vidi, quomodo ex uno Stockwerk prodeant plura strata, arteriae seu ramificationes, quod in fodina quadam collapsa et defecta videre licet. 3) Quod ventum in profundissimis locis per folles exantlare possint; follis enim movetur per eandem machinam, qua extrahitur minera, ventus ad loca illa deducitur per canales ligneos, nec exitum habet, nisi in loco, ubi deest ventus, seu ubi ventus continue stagninus et calidus est. 4) Quod pila tusoria non suffigantur ferro, sed lapide quodam durissimo nigro, et quod fundus capsae sit ligneus obliquus, dicitur in lapide hoc super lignum tam bene peragi posse operam tusoriam, ac si pila praefixa cum fundo ferrea sint. 5) Joachimsthalii habent folles, ubi foramen est in tabulato illorum superiori, quod pistillo obducatur,

si minor pars venti requiritur, ut circa fusiones plumbeas, tunc ad necessitatem proportionari ventus potest.

Eodem die vespere perveni ad Joachimsthal, ubi biduum commoratus sum.

12. August.) Commoratus sum Joachimsthaliae. — Joachimsthalia urbs metallica facta est anno 1516, inter montes metalli feraces jacet; optimae fodinae prope urbem sunt Hubert et Einigkeit vocatae; omnes suppeditant mineras divites, argentum nativum, mineram vitream argenti, Rothgulden, Weissgulden, et plura alia. Minera plerumque in scissili frangitur, et omnis est cobaltica et arsenicalis et plumbo orba; plumbi minera ad Bleystadt emitur, et ibi funditur.

Minera, quae egena est, contunditur in pulverem et lavatur. 1) Contunditur sub 3 malleis in una capsa, quae eodem modo in capsa laborant, ut alibi; pila sunt admodum magna; vas, in quod conjicitur minera, et pilis subministratur, est figurae oblongae, et illuc per obliquationem quandam derivatur, non ope alicujus baculi, ut Saxoniae, sed ope manus; elevatur enim, ut illuc secundum necessitatem influat. 2) Canales, qui inde prodeunt, non ultra 5 ulnas longi sunt, 2 gradibus seu subselliis gaudent. Praeterea omnis reliqua aqua turbulenta effluit in amnem, seu rivum, qui praeterlabitur, adeo ut nulla pulveris pars puteis excipiatur, ut alibi. 3) Pulvis ex canalibus hic eductus lavatur primum super Schlammbank, qui profundior pariter et latior Saxonico est, alias ejusdem fere figurae, et eodem modo ibi peragitur opus. Minutior exinde deducitur in aream, cespitibus instructam non admodum longam, sed obliquiorem illis, quae Muldae sunt; super illis modo vulgari instituitur lavatio et ablutio. Differentia haec in illis observata est, quod 4 gradus sint, antequam pulvis mineralis inde deducitur in inferiorem, qui longitud. est 1 pedis modo, hinc in tertium, pariter longit. 1 pedis, sic in quartum longit. 1 pedis, demum in ipsam aream, cespitibus obductam. Crassior et ponderosior pars in gradibus seu tabulatis superioribus remanet, minutior et levior mineralis in in-

ferioribus, et in area. Quum cespites sint eluti, pulvis inde defertur in areas nudas, nullis cespitibus instructas, ubi tantum 2 gradus sunt, antequam devenit ad ipsam aream. Hae nudae non tam obliquae sunt, ut illae, quae instructae sunt cespitibus, ejusdem tamen longitudinis; ad pedem hujus est capsa, in quam derivatur omnis pulvis mineralis sensim, quum prius lavatus sit; interea dum appropinquatur, commovetur pulvis, dum omnis pulvis in cupa illa teneatur collecta, et pars lapidea et levior inde defluxerit. Habentur etiam areae duplices, sed latae, superior nullis cespitibus praedita, et derivatur inde pulvis in capsam oblongam, sub pede superioris plani stantem, dein inde super planum vel aream inferiorem aeque latam, et cespitibus tectam, ubi pars adhuc subtilior colligitur.

Opera fusoria argenti ad Joachimsthal sunt modo binae fornaces, et illae in una domo, cum furno secretorio Treibherd; fornaces sunt Krumm-ofen, 2 uln. altae, intus $1^3/_4$ uln. longae, 1 uln. latae; ipsum tigillum extra ipsam fornacem longius productum est, ubi omnis lapis durante fusione cum plumbo argenteo colligitur. Fornax haec supra circa aperturam utrinque arcuata est, et sic exsurgitur in fornaculum fumarium; bina tigilla sunt, unum superum, et alterum infra, in quod aperto foramine derivatur plumbum argenteum; inferius est bene sub superiore $^3/_4$ uln. in linea perpendiculari. Folles sunt lignei, admodum magni; in superiori illorum tabulato factum est foramen, pistillo occlusum, per quod temperari possit ventus, si minus requiratur, quod fit circa fusiones plumbeas, quae in eisdem fornacibus peraguntur. Orificium ventilatorium satis amplum est et laxum; aequat diameter ejus $2^1/_2$ pollices, si non 3; fistulae folliculares longius in dicto cono cubant. Per illud foramen videre licet nasum quendam, fere in mediam fornacem se porrigentem, ex quo sensim stillat vena liquata. 2) Mixtura est varia secundum indolem venae, quae diversissima est, dives et egena, arsenicalis, arida; plumbea non datur, est omnis cobalto

praegnantissima, plerumque assumi solent 6 Centen. minerae crudae — nam cruda superimponitur sine praevia calcinatione, si dives sit — 1½ Cent. scoriae ferri, pariter ferri lavati, ut vocatur, Wascheisen; 2 Cent. seu plus aut minus secundum necessitatem, scoriarum recentium, et 2 Cent. lithargyri et plumbi simul. 3) Quovis bihorio vel trihorio obtineri solent aliquot Centenarii plumbi argentei una cum lapide, qui se insuper locat; interdum datur plus, quam dimidia pars talis lapidis, interdum magis, interdum minus, secundum variam mixturam et indolem minerae. 4) Lapis hic primo obtentus 5es calcinatur et item miscetur et superimponitur. 5) Quum iterum lapis obtinetur, sit ille pauperior, et rursus quinquies calcinatur, et hoc iteratur, dum nihil lapidis plus obtineatur, qui aliquid argenti contineat. Quia minera haec cobalti plenissima est, obtinentur aliae lamellae, Spleiss vocatae, quae argenti quoque divites sunt, quae collectae decem ignes calcinatorias transire debent, antequam iterum superimponatur. Habetur etiam minera, quae funditur, ex qua prius arsenicum sublimatum est, sed de tractatione minerae argenti Joachimsthaliae seorsim Germanico idiomate methodum conscriptam videre licet.

Opus Arsenicale prope Joachimsthal. Est etiam ad ½ milliare extra urbem opus arsenicale, ubi videre licet 1) Quod cobaltum crudum conjiciatur in furnum quendam panifico similem, longit. 4 uln., lat. 3 uln.; infra est locus pro lignis seu igne, interjacet pavimentum. Ad unum angulum furni patet exitus pro fumo, nam cobaltum fumare continue dicitur, tamquam sulphur ex marcasita. 2) Per aperturam illam in furno exit fumus, et inde per duplicatum meatum deducitur primum ad dextram, dein versus fundum ad sinistram, et per ductum, 30 uln. longum, et inde ad ultimum quendam parietem, ubi iterum reflectitur, abit in alias partes ad angulum; patent aliquot januae, per quas exire potest fumus levior, nam crassior versus fundum praecipitatur; illae portae ad libitum aperiri et claudi possunt,

ad extremam partem etiam patet supra tectum exitus, ubi ultimo exit. Interea per tot vias, meatus et ambages pars fumi gravior fundum petit, et se ad pavimentum crasse relocat, ubi dein instar farinae albae colligitur. Longiores reddi possunt hi meatus, prout libet. 3) Crematio seu sublimatio haec perstat 12 diebus et noctibus; interea obtineri solent 200 ad 250 Cent. pulveris arsenicalis. 4) Cobaltum, ex quo Arsenicum est sublimatum, colligitur, sub pilis pulverisatur, et modo solito lavatur, et sic [in] fornacem fumicam immittitur, ut alia minera, et sic inde exsudatur argentum. 5) Pulvis, dictus arsenicalis, colligitur, et modo sequenti liquatur; habentur bini camini, 5 ulnas longi circiter, sed 1 pedem lati, cum cineritiis suis; insuper est fundus lapideus vel ferreus; super fundum seu pavimentum hoc ordine locatae sunt 4 laminae crassae ferreae, crassit. $^1/_3$ pedis quadratae, longit. et lat. $1^1/_2$ ulnae; in medio est puteus rotundus non profundus, diametri circiter 1 pedis, profunditatis $^1/_4$ pedis secundum longitudinem cujusvis camini; supra relocantur 4 hujuscemodi laminae ferreae, seu super has binas 8 tales. Super hoc ferrum, seu super quemlibet puteum aptatur pileus seu conus ferreus, altitud. $1^3/_4$ uln., aperturae ejus interioris diameter $^3/_4$ uln., superioris $^1/_3$ pedis; hic pileus dicta farina arsenicali repletur ad 2 Centenarios, ut per 12 horas inibi liquatur; adhaerescit pulvis latentis hujus coni seu pilei ad crassitiem 2 pollicum, sicque arsenicum liquatum quavis 12^{ma} hora eximitur. Habetur sic Arsenicum album, sique sulphure mixtum est, habetur flavum.

Porro observandum est, quod optimae fodinae Joachimsthaliae sint hodie Hubert et Einigkeit, nec tamen plus argenti habent, quam 1200 ad 1300 marcas; olim ditissimum opus fuit. In ipsa domo fornacum apparet, quam magni fuerint panes argentei, ubi quidam, qui 300 marcas ponderasset. Anno 1516 est opus hoc inceptum, et spatio 94 annorum obtinuerunt argenti 1,300,000 marcas, seu quovis anno 13 ad 14000 mc. Alias sunt hic ductus subterranei, seu Stoll vocati, ut Kaiser-Stoll,

4000 Lachter longus, seu 12 ad 14000 ulnas, alius est ad 6000 Lachter, sed ab una fodina in alteram tendunt cum linea recta. In fodina Einigkeit ad profunditatem 60 ad 70 Lachter habetur machina aquatica cum rota, quae circumducitur ab aqua, quae illuc derivatur. Anno 1542 fuerunt ibi 300 Schichtmeister, et 800 Steiger. — Pro Maria Viennensi puri argenti pretium 21 gulden, 15 Creutzer, accipiunt.

16. August.) In templo seu ecclesia Catholico Romana Carlstadii fueram, ubi videre mihi contigit sacra illorum seu celebrationem missae, ubi observavi omnia jucundissima esse, vel ad sensus omnes aptata. Auris habet optimam harmoniam instrumentorum, nullus enim erat cantus populi, sed loco ejus musica instrumentorum plenissima. Oculus videbat diversissima ludicra, et gesticulationes tam puerorum, quam aliorum, videbat lampades ardentes, funeralia, amictum magnificum sacerdotis, pueros pariter ita vestitos, omnia auro et argento ad lampades illas fulgebant. Olfactus habebat suffitum optimum, quo altare, seu locus sacer suffitus est. Tactus habebat aquam, quam sacerdos intrans circumcirca in populum spargebat. Sensus interior summam venerationem numinis in sacerdote, innumeras geniculationes, pariter pueros. Gustus nihil habebat, praeter quod sacerdos ex vino, quod solus bibit, habere potuisset. Sacra ad sensuum exteriorum voluptatem ficta, sed tamen usque vulgo [non] carentia, quia omnis recordatio numinis per sensus externos primum penes illos intrare debet.

Die 18. August.) Pragam profectus sum, et illuc die 19. Aug. perveni.

19. August.) Pragam perveni, diversa templa intravi, ubi etiam altaris tabulam videre licuit, ubi lampades intus ardebant, et coelum lucidum repraesentabant. Iterum etiam templum Sti Viti ingressus, et innumera illa sacrificia argentea et aurea perlustravi, pariter sepulchrum Boleslavi argento circumfulgens.

21. August.) Veni ad civitatem metallicam Cule,

ubi aurum nativum sine alia minera in certis stratis frangitur, de qua re infra.

Processus aurum obtinendi ad Cule. Dicitur hoc opus antiquissimum esse, et inceptum post Christi nativitatem anno 300, sed saepius relictum. Olim tanta copia auri obtenta est, ut multa millia ducatorum quovis quadrante anni obtinerent pro una portione in fodinis; sunt ad 1 milliare tam perforatae colles et montes, tam in profundum, quam etiam altius, ut vix quicquam sit, quod non pervestigatum sit. Ductus subterranei sunt fere, qui continuantur ad 2 milliaria; olim quantitas illa auri inventa est non profunde, hodie vero jam ad profunditatem 3 ad 400 ulnarum erant; ante 10 vel 15 annos intra quadrantem horae etiam aurum obtentum est, quod pretio valeret circiter 1000 ducatis, nec procul a superficie; hodie quotannis non ultra 10 ad 12 fibras, seu 1000 ducatos; aurum sine igne est obryzum, ultra 22 caratas continens. Nihil aliud datur, quam nativum aurum, in granis, in foliis, in massis etc.; sunt strata, in quibus inquirendum est aurum, quae constant Quarzo, mixto cum scissili rubescente vel flavescente; ibi inhaeret aurum, ut plurimum invisibile. Non datur minera ejus, nec adhaeret ei argentum, nec cuprum, nec nobile quid aliud, nisi aliquantulum ferri et pyritae, sed tamen non latet in pyrite, nisi granulatum aut nativum. In plumbo etiam animadversum est, sed plumbum multum auri, et nullum argentum habet.

Strati hujus lapides ex fodina erant lati ad opera tusoria, quae hic 3 sunt; unum non simile alteri, instructum secundum qualitatem, seu secundum paupertatem aut opulentiam auri, quod invenitur in lapide. Quod 1) Opus tusorium attinet, ubi plus auri est in vena seu lapide, sunt binae capsae tusoriae secundum modum vulgarem constructae, sed profundae; profund. 1 ulnae, non est cribrum, sed apertura a latere a fundo altius circiter 3/4 uln., per quam effluit aqua turbulenta. Pila sunt cum magno ferro praefixa, et suo ordine tundunt; aqua in canalem brevem effluit, qui 2 tantum subselliis gau-

det. 2) Pars nobilissima remanet in ipsamet capsa in fundo ejus, nec effluxerat, tum excipitur et lavatur. Area est modo vulgari facta, longa circiter 5 uln.; 3 ordines, seu subsellia sunt, antequam pervenitur ad ipsam aream; suprema est exigua, pariter altera, tertia est longitudine 1 ulnae 9 poll., lat. 1 uln. 3 digit. Hic remanet nobilior pars in hoc subsellio; haec pars nullo superinstructa est panno, sed nuda est; hic colligitur nobilior pars; reliqua, quae etiam crassiora sunt, per aream defluunt, quae ad imum est pannis obducta; hic adhaeret pars crassior lapidea et alia; tum derivatur hoc in alveum, pulvis ibi collectus iterum sub pila mittitur, et in pulverem contunditur etc. modo jam praedicto. 4) Pulvis in capsae fundo remanens in cupam quandam colligitur, exque centenario talis pulveris aliquot semunciae auri obtineri possunt. 5) Quum lavatio peracta sit, quicquid remanet in superiore lato subsellio, accipitur in lavacro quodam; est vas fere formae quadratae, antea vero incurvatum, simile figurae [3.]; in hoc vas colligitur pars nobilior, et per aquam et succussiones ad ventrem et ablutiones pars nobilissima colligitur, et a marcasita et ferro separatur, et sic in vas quoddam parvum colligitur, quod purissimum est, ut inde aurum immediate haberi possit. 6) Pars vero pulveris in canali super alias areas lavatur, quae pari modo sunt factae, ut hae descriptae, sed non nisi quam uno panno instructa immediate sub lato illo 3tio subsellio; hic lavatur omnis pulvis, in canalibus obtentus; quicquid inde remanet in alveo, qui ad pedem ejus stat, hoc etiam lavatur etc. etc. Sed aliud opus tusorium est, in quo tunditur lapis egenus. 1) Pila sunt eodem modo facta, et eodem ordine labuntur. 2) Sed capsa non ita profunda est, modo ½ ulnae, nec inde tam alte exstat foramen, per quod effluat aqua, ut in priori. 3) Extra excipit canalis longus et circumductus, qui gaudet 6 subselliis, gradibus divisionis. 4) Optima pars etiam hic in fundo capsae colligitur. 5) Optima pars lavatur ut supra, supra aream pannis instructam, praeter superius latum subsellium,

quod nudum est, et in quo colligitur pars nobilissima, quae dein per succussionem et ablutionem in lavacro separatur a ferrea parte et marcasitica, sique dein per cornu quoddam inspergitur aqua, tunc apparet ibi aurum clarum. 6) Pulvis in canaliculis secundum seriem obtectus lavatur supra areas, modo uno panno obducta, et derivatur dein in alveum, aqua plenum, et iterum eximitur et lavatur; continere solet centenarius pulveris lavati $1/2$ vel 1 semunciarum auri.

Habent et Waschbank, in quo sic primum separatur pars lapidea a ponderosiore; est supra tamquam excavatum, in quo duae machinae simul citra et ultra moveri possunt, et sic agitari aqua, ut inde diffluat illa, quae maxime turbulenta est, et sic minor copia pulveris nativi habetur etc. etc.

Die 22. August.) A Cule rursus Pragam me contuli; fui in monasterio Barnabitarum, ut viderem collectionem quandam minerarum, sed erat compages minerarum, et plus ad visum, quam ad usum.

Die 23. August.) A Praga me ad Dresden contuli, ubi die 25. Aug. perveni, in via transivi aliquot urbes, ut Budin et alias, ubi monasterium. Ad vicum quendam Linai appellatum in Bohemia, fere sub monte illo edito Geyer, qui distinguit Bohemiam a Saxonia, vidi hortum quendam, Indicis arboribus, Aurantiis et Citreis plenissimum, pariter varia illarum genera, longas, cuspidatas etc. et tantam aurantiorum et citreorum copiam ab arboribus pendentem, ut nullibi majorem videre contingat; pertinet ad comitem Nostitz.

Die 25. August.) Perveni ad Dresden. — Die 28. Augusti cum Domino Leisner fui, qui in Saxonia terrae combustibilis usum vult introducere; dixit mihi, quendam Carlewitz tentavisse in fornacibus fusoriis usurpare terram combustibilem, et eousque pervenisse, ut cum usu adhiberet $2/3$ partes terrae, et $1/3$ partem carbonum, et sumsisse hoc, sed serius combussisse illas terras, seu calcinasse, et cumulum admodum bene texisse; tunc ex 6000 frustis terrae hujus crudae obtinuisse 5 fuder car-

bonum talium ex terra existentium, nec tunc aliquas impuritates reliquisse in fornacis foro; sed tenendum est, quod 1) tenues et leves sint, et ante ventum facile dissipentur, nec quicquam ignem praestare posse, nisi aliquantulum flammae, quae multum contribuit ad liquefactionem, eoque dilabuntur etc. 2) Quod sic imponendae sunt, non in medio fornacis, ante, et supra ventum, sed ad latera, prius ¼, dein ⅓, tum dimidia. 3) Si calcinatae sint, non tantam partem sulphuris possident, ut sic possint detrimento esse metallo, licet nihilominus multum sulphuris in illis remaneat, adeo, ut si non lapis desideretur, non adhiberi possent. 4) Quum calcinantur, multa earum pars perit; ex uno frusto terrae crudae remanet modo aliquantum carbonis; dixit mihi, quod pugni magnitudinem fere aequaret, et conglomerata massa esset, aliquantum dura, quod vix credere possum, nam terra haec calcinata non multam partem carbonum suppeditat, si optimae indolis sit, fere tota per calcinationem perit, vel remanet exigua admodum quantitas. 5) Sunt alias 3 genera, quae novi, et praecipua sunt, unum, quod radicibus crassiusculis complicatis constat; hoc genus in carbones verti licet, et remanet aliqua pars radicibus in carbonem conversis constans; alterum et radicibus sed minoribus aut minimis complicatis, et jam tam marcidis et in terram quasi conversis. Tertium constat puro luto quodam, quod colligitur in locis illis paludinosis semel effossis etc. 5) Alias optime usurpari potest terra, ubi nullum metallum adest, vel ventus, qui stringit et verberat, ut in furnis panificis, in focis vulgaribus, in evaporationibus salium victrioli, aluminis, pariter in fornacibus, in quibus vitrum paratur.

Die 30. August.) Cum consiliario Colleg. met. Henckelio apud Hofrath et Bergrath Dreyer fui, ubi diversi generis mineras mihi videre contigerat, praeterea etiam aliquod sceleton felis marinae cum suis articulis et pedibus in lapide scissili, praeter illa alia multa mineralia.

2. Septbr.) Ex Dresda Lipsiam profectus, ubi die 4 Sept. perveni.

5. October.) Initium factum est cum impressione Principiorum, et quidem 6 folia per septimanam illam impressa sunt. Faveat numen. Eodem etiam die nundinae Lipsienses sunt inchoatae.

[Finit hic Itinerarii Pars latine scripta, sed sequuntur Excerpta ex libro cui titulus: Nachlese besonderer Nachrichten von Italien, etc. von Joachim Christoph Nemeitz, Leipzig 1726.]

NOTAE CRITICAE
EDITORIS.

Pag. 1. l. 9. affini legi et scripsi pro affine; l. 25. Oblectamenti gratia pro Oblectamenta gratiae; l. 4. infr. grande pro grandum; l. 2. infr. famigeratissimo pro famigerantissimo.

— 2. l. 20. distinguerent pro distinguerant; l. 28. terrae pro terra; l. 30. fulcra pro fulcro.

— 3. l. 5. roburque pro roboremque; l. 17. celeber pro Celebris; l. 27. quercetis pro quercetri; l. 29. quercicarum pro quercinarum; l. 32. Brandenb. pro Brandeb. ut l. 24. et p. 4. l. 18. 38. p. 5. l. 9. infr.

— 4. l. 1. oriunda pro oriundam; l. 15. 34. 35. Megaloburg. pro Magdeburg.; l. 16. quercubus pro quercinis, ut p. 5. l. 3. infr.

— 5. l. 22. Megaloburgum pro Magdeburgia; l. 25. patrui pro fratris.

— 6. l. 9. metiri pro meteri.

— 7. l. 3. Parisiensia pro Parisiensa; l. 5. quae

— muris pro qua muni; l. 6. appellata pro apellata; l. 21. contiguitas pro continguatas; l. 32. has pro hus.

— 8. l. 23. et 28. thec. pro ther.; l. 25. Cimeliarchio pro Cimelianthio; l. 2. infr. opera pro operea.

— 9. l. 28. comitum pro comitarum; l. 1. infr. quercicum pro quercinum.

— 10. l. 20. et 36. s. ostrear. pro ostreac.; l. 22. solido tegmine pro soli tegmine: Putoneus in suo libro: Histor. u. physical. Beschr. einer Art höchst schädlicher Seewürmer. Leipz. 1733. habet pro hac voce, p. 42. „Horn-Schülpe“; l. 23. caudam pro eandem, ut

l. 25. caudae. Cf. Putoneus l. c.; l. 30. perimere pro perenare.

Pag. 11. l. 15. aggeres suos [contra] ruinam pro aggerere suas ruinam. Cf. Putoneus l. c. p. 73; l. 18. pix pro sic, cf. Putoneus l. c. p. 80; l. 20. Wallisnerius pro Wallinerius, ut p. 10. l. 17; l. 25. adinvenerint pro adinvenierint; l. 27. cerussa pro cenissa; l. 6. infr. quam pro est.

— 12. l. 12. quercico pro quercino; l. 19. cremandae pro cremendae.

— 13. l. 21. Citrorum pro Citronum; Pomorum aurantiorum pro Pomerantzionum; l. 24. 26. Aurantiorum pro Orantzionum.

— 14. l. 16. Saxoniae pro Saxonis, ut l. 23; l. 19. Porcellanea pro Porcellanica.

— 15. l. 2. in genua pro in genera; l. 16. Essai pro Essay; l. 20. parallelogrammam pro paralellogrammam; l. 23. Köhl appellatur pro Köhl appellatus; l. 34. aequilibrio pro aequilibus: cf. J. Bernouilli Essai in ejus Operibus t. 2. 1743. p. 84. ubi habet: De l'axe de l'équilibre des impressions; l. 1. infr. Bibliothek pro Bibliotheke.

— 16. l. 9. carbonibus, turfeis, ligneis, pro carbonibus teneis, ligneis: Cf. Julii Bernhards von Rohr Compendieuse Haushaltungs-Bibliothek, Leipz. 1726. p. 527. ubi habet: 1) Holzkohlen, 2) Torff, 3) Steinkohlen; l. 11. Websterus pro Werbsterus, ut habet Rohr l. c. p. 551; l. 13. Alius pro Alias, et Aldrovandi pro Aldrowandi; l. 21. Melzers pro Meizer, ut habet Rohr l. c. p. 553; l. 22. Schoenburgs pro Schoenbergs, ut habet Rohr p. 553; l. 25. Kirchmeyer pro Kirchmayer, ut habet Rohr p. 553; l. 27. Ein pro Einen, ut habet Rohr p. 556; l. 31. Bernhards pro Bernhard.

— 17. l. 4. ta Turcica et Persica pretiosissima tam pro tae Turcicae et Persicae pretiosissimae tum; l. 5. posita pro positae; l. 6. s. „filigrane" pro „philigrane"; l. 8. crystallo pro chrystallo; l. 13. aedificatae pro aedificata; l. 18. des ... van Loon pro de ... von Laon; l. 22. Newtonis pro Neutonis; octavo pro octav.; l. 28. mola pro

molo, ut p. 19. l. 8. infr.; l. 32. ferrarii pro ferrarei; l. 38. ulnarum pro alnarum.

Pag. 18. l. 4. dimidiam pro dimidium; l. 19. uncum pro unicum, ut l. 28.

— 19. l. 21. sed pro seu; l. 22. super pro supra.

— 20. l. 2. et 6. amalgam. pro amalgamm.; l. 6. disparet pro disparit; l. 13. vitro pro vitri; l. 28. percutit pro perculit; l. 30. latus pro latum, ut l. 29; l. 33. manarum pro manorum; l. 35. litteraire, ut habet liber ipse, qui inscribitur: „Bibliotheque Italique ou histoire littéraire de l'Italie."

— 21. l. 9. duellia: legerim duella; l. 21. italique pro metallique, ut habet ipse liber, e quo sequentia sumsit noster; l. 26. Mathiole pro Matthiole, ut l. c. [Bibl. ital. Vol. I. 1728.] p. 81; l. 28. 1593 pro 1543, ut Bibl. ital. p. 84; l. 31. Lancisi pro Laressi, ut Bibl. ital. p. 86; l. 32. alumine pro columine, ut Bibl. ital. p. 87; l. 33. sandaracha pro sandaracho.

— 22. l. 3. Bianchi pro Blanchi, ut habet jam dicta Biblioth. ital. I. p. 285; l. 7. Turino pro Turin; l. 11. Crystallino pro Cristallino; l. 12. Nivis pro rivis, ut habet Bibl. ital. I. p. 299. et Tome VI. p. 159; l. 15. Hafniae pro Haffniae; l. 20. sicciss. pro siciss., ut habent Horrebowii opera, Tom. I. Havn. 1740. p. 240; l. 24. vitrioli pro victrioli, ut ibid. p. 240; l. 25. rectificatissimo pro rectificatissimum, ut ibid.; l. 1. infr. Aurantiorum pro Orantziorum.

— 23. l. 2. Acatiam pro Agatiam; l. 5. Café pro Caffé; l. 12. Italica pro metallica, ut supra p. 21; l. 13. Woodward pro Woodwan, ut habet praed. Bibl. ital. II. p. 117; l. 23. droguistes pro drogistes, ut ibid. p. 121; l. 24. tripely pro tripeli, ut ibid.; l. 26. Steinomarque pro Steiermarque, ut ibid.; l. 27. à potier pro potier, ut ibid.; l. 33. le frottement pro frottement, et touche pro treche, ut ibid.; l. 34. s. qui sont si dures et compactes qu'elles prennent polissure pro qu'elles sont dures et compactes, prendent politure, ut ibid. ubi legimus: si dures et si compac-

tes qu'elles prennent un beau lustre par la polissure; l. 36. la serpentine, le porphire, pro serpentine, porphire, ut ibid.; l. 37. comme pro come: la Bibl. ital. habet hic Les Pierres de figure et de disposition incertaine.

Pag. 24. l. 3. celles pro elles, ut ibid. p. 124; l. 4. parallèles pro paralleles: la Bibl. ital. habet p. 124. paraloleres; l. 4. ut pro et; l. 5. l'amianthe, ou asbeste, pro amianthe, asbeste, ut ibid. p. 124; l. 7. dorée pro d'orée, ut ibid.; l. 9. crystallini pro christallini; l. 11. Croutes pro Croute, et adhérentes pro adherants, ut ibid. p. 125; l. 13. adherente pro adherent, ut l. c. p. 125. l. 15. enhydros pro entydros, et figure certaine pro figures, ut ibid.; Sélénite pro Selenites; l. 18. figurées pro figures, et stalactite pro stalactitae; l. 21. turcoise pro turquoise, ut l. c. p. 127; l. 22. s. Lazuli pro Capula, ut l. c.; l. 27. très pro tres; la Chalced. pro Chalced.; Mochoen pro Mochuen, ut l. c.; l. 29. néole pro niole; Cornaline pro Comaline; très pro tres; l. 30. beryl pro beril; transparentes, les colorées pro transparentes les couleurs, ut l. c. p. 128; l. 35. Chrysolithe: scil. des modernes, ut l. c.; l. 37. marin pro marine; l. 38. de gemme pro du genie: cf. l. c. p. 129.

— 25. l. 1. s. Anciens; le nitre des anciens Egyptiens pro anciens Aegyptiens, ut Bibl. ital. II. p. 129; l. 3. le nitre, scil. des Droguistes, ut l. c.; l. 3. melé pro melée; l. 4. cretacée pro cretoiée; l. 4. produit pro produise; l. 7. bitume pro bitumen; l. 11. le pyrite pro la pyrite; l. 12. cobalt pro cobolt; l. 22. camphorae pro camphori. Cf. ibid. p. 181; l. 25. Ruysch pro Reytsch, ut habet Bibl. ital. T. III. p. 63; l. 26. des Nouës pro de Noue, ut ibid.; l. 29. cultris pro cultro; l. 31. s. uterus cum foetu pro uterus in foetu: la Bibl. Ital. III. p. 72. habet un grand Uterus fécondé.

— 26. l. 1. Observatum pro Observatus; l. 1. s. motus reciprocus est ipsa vibratio lateralis. Cf. Bibl. ital. T. III. p. 157. ubi legimus: la nature du Mouvement . . . avoit été mixte; c'est-à-dire de bas en

haut, qu'il appelle Secousse, et lateral, qu'il nomme Vibration; l. 6. Rizzetti pro Rizetti, ut hab. Bibl. ital. III. p. 269; l. 7. Newtonium ... Trevise pro Neutonium ... Trevisse, ut ibid.; l. 12. s. un ... de la ... Genevae pro une ... de ... Geneve, ut ibid. T. IV. p. 302; l. 15. l'Honoré pro l'Honore, ut ibid.; l. 15. et pro seu, ut habet Liber ipse Fr. Blanchini et Bibl. ital. quae ejus mentionem facit, Tom. VII. p. 82; l. 17. Veronensis pro Veronensi; l. 19. 112 vicibus: cf. Blanchinus p. 18. et Bibl. ital. VII. p. 89; l. 19. situatus pro situetur, ut Bibl. ital. VII. p. 94: „l'Equateur bien autrement situé; l. 22 — 29. cf. Bibl. ital. VII. p. 97. „Son Equateur parut toujours très-oblique au Plan de l'Orbe, et l'Axe de la Révolution fort couché sur ce même Plan, qui est le même que celui de nôtre Ecliptique, á $3^1/_3$ degrès près. L'angle, que l'Axe faisoit avec ce Plan, fut estimé ... de 15 degrès ou environ."

Pag. 27. l. 5. semi-diametris pro diametris, ut Bibl. ital. VII. p. 119. demi-diametres; l. 5. 1730 pro 1729, cf. Bibl. ital. Tome IX.; l. 5. Bonav. pro Petri, ibid p. 187; l. 9. Newton pro Neuton; l. 12. Mengoli pro Mongoli, ut ibid. p. 190; l. 13. Angelis pro Angilis, ut ibid. p. 191; l. 16. ss. Mattia ... Cristofori ... Monforti, Francesco Spoleti, Giuseppe Sassi, Lorenzo Lorenzini, Comes Fagnani pro Mathia ... Christophori. ... Morforti, de Francesio Spoleti, de Giuseppe Sassi, de Lorenzo Lorenzini, du comte Fognari, ut ibid. p. 195; l. 21. continentur pro habentur, ut ibid. p. 200; l. 23. Narducci pro Narduini, ut ibid. p. 201; l. 26. s. Observationes, [quae] sunt factae a Corradi et Manfredi, pro les Observations, sunt factae a Conradi le Manfredi: cf. ibid. p. 202. s.; l. 28. multa ... Rizzetti pro multe ... Rizetti, ut ibid. p. 203; l. 33. Eustachio ... Poleni ... Fontana pro d'Eustachio ... de ... du ... Polleni ... de ... Fontano, ut ibid. p. 205; l. 36. Toricelli pro Torricelli, ut ibid. p. 207; l. 37. s. dell' acque pro del aque, ut ibid. p. 206; l. 38. Vallisnieri: des pro Wallisnieri de, ut ibid. p. 206.

Pag. 28. l. 1. Loewenhoek: la Bibl. ital. habet Leewenhoek; l. 1. Hartsoeker pro Hartsocker, ut ibid. p. 207; l. 4. Morgagni pro Morgani, ut ibid. p. 214; l. 7. Domenico Sangenito pro Dominico Langerito; l. 8. Giacinto pro Giancinto, ut ibid. p. 218; l. 9. Pietro pro Pierre; l. 12. Bart. . . . della pro Barth. . . . de la, ut ibid. p. 221; l. 16. Giotto pro le Giotto; l. 17. Coreggio pro Coregge; l. 19. Franceschini pro Le Francesschini, ut Bibl. ital. Tome X. p. 111; l. 20. s. Barino, Celesti, Viani, Santi Pauli, Belucci, Gamberini, Gabbiani pro le Barino, le Celesti, etc. ut habet gallice la Bibl. ital.; l. 21. Pietro pro Pier, ut male habet la Bibl. ital.; l. 22. s. Pozzi, Cavazzoni, Castellini, Bistega et Bibieni pro Le Pozzi, le Cavazzoni, le Castellini, le Bistega et les Bibieni, ut similiter gallice habet la Bibl. Ital.; l. 25. Maratti, ut l. 18. et in la Bibl. Ital. X. p. 111; l. 26. s. Odamo . . . Franceschini . . . Domenico pro Adamo . . . Francesshini ... Dominico, ut ibid. p. 112; l. 2. infr. Baroccio pro Barocejo, ut ibid. p. 109.

— 29. l. 3. Brunellesca pro Brunelesca, ut ibid. p. 107; l. 4. Foggini pro Fogini, ut ibid. p. 114; l. 9. altera pro cetera, ut ibid. p. 283; l. 11. s. spectantia pro speculantia, ut ibid. p. 282; l. 14. Bononiae pro Boulogne, ut ibid. p. 281; l. 17. cum pro qui; l. 19. habeat . . . Parisienses pro habeant ... Parienses, cf. Bibl. Ital. t. XI. p. 8.

— 30. l. 2. Buteoni pro Buteons, ut Bibl. Ital. XII. p. 19; l. 3. Borelli pro Borcelli, ut ibid. p. 24; l. 5. Bernoulli pro Bernouelli, ut ibid. p. 25; l. 9. Asti pro a d'Asti, (gallice in Bibl. Ital. XIII. p. 252); l. 15. Crystallini pro Christallini; l. 17. cyparisso pro cypresso; l. 19 et 20. sceleta pro sceletta; l. 19. ustis factus, [?] pro ustri factus; l. 31. Welwarn pro Wellwarn; l. 33. diversorio pro versorio; l. 36. Moldau pro Muldau.

— 31. l. 8. Extra pro Etra; l. 15. ambulacra pro ambulachria; l. 17. Monstrantiae pro Monstrances; l. 19. una monstrantia pro uno monstran-

ce; l. 21. una monstrantia pro unus monstrance; l. 22. adamantibus pro diamantis; l. 25. ad ... thaleris pro a ... thaleroris.

Pag. 32. l. 13. lacra pro lachria.

— 33. l. 1. infr. 3tio pro 4to; exstant enim allata in 3a Parte Principiorum, et 4a non datur.

— 34. l. 1. vorticali pro verticali. Cf. Principia p. 392. ss.; l. 2. acta sunt, pro actum sit; l. 6. violacei pro violocei; l. 17. domos pro domus; l. 24. post poliri sequuntur aliqua verba lectu difficillima quae omisi.

— 35. l. 5. s. ventilatoriorum pro ventilotarium, ut p. 38. l. 5. et l. 5. infr.; p. 44. l. 2. infr.; p. 46. l. 1.; l. 8. ad 400 pro à 400, ut ead. l. ad 150; l. 21. striatum pro stiriatum; l. 27. saxo pro sono; l. 3. infr. invadendo pro in vasendo.

— 36. l. 3. cuprum pro cuprus; l. 3. 4. marcasita pro maccasita; l. 6. aliquid pro aliquot; l. 7. Minera pro 2) Minera; l. 18. libitum pro licitum; l. 23. narum pro norum.

— 37. l. 7. Pulvis pro Pulvis hic. Pulvis; l. 16. vel pro och.; l. 26. constructionem et dimensionem interiorem pro constructione et dimensione interiore; l. 22. insufficientis pro sufficientis; l. 36. est, ab pro est. Ab.

— 38. l. 1. aculeus pro aculus; l. 9. coriacei pro coreacei; l. 19. nucleo pro nudeo; l. 29. cohaerentis pro coherentis.

— 39. l. 20. scoriis pro scioriis; l. 34. gulden pro gullen.

— 40. l. 17. pulverea pro pulvicia, ut habet Swedenborgii Regnum subt. s. m. de Ferro 1734. p. 173. ubi hujus rei mentionem facit.

— 41. l. 6. Falkenau pro Falckenau; l. 14. ad pro a; l. 22. cobalt pro cobolth.

— 42. l. 10. quavis pro quava; l. 28. quae pro quod; l. 3. infr. fornaculam pro fornacula.

— 43. l. 5. qui ... vulgo pro quae ... vulgae; l. 9. na hemisphaeria ... bina hemisphaeria pro nas hemisphaerias ... binas hemisphaerias; l. 12.

ulnam pro ulna; l. 22. horas pro horis; l. 23. s. effertur pro exfertur.

Pag. 44. l. 4. Johann Jürgenstadt pro Johan Jürgenstad; l. 8. s. prior quae coloris fusce rubescentis, apparet angularis pro in priore apparet sui coloris angularis fusce rubescentis; l. 12. s. nigrescentis pro nigrefientis; l. 15. Schlammbank pro Slambenck; l. 30. s. pergitur pro vagitur; l. 2. infr. coriacei pro coreacei.

— 45. l. 10. Fuhr ut vocatur pro fer Spaltia, ut in Autoris Opere de Cupro 1734. p. 159. „pulvis Carbonis unius vecturae, quae Fuhr appellatur;“ et p. 162. „commixtio ... consistit ex 4 partibus vel vecturis Fuhr appellatis venae crudae, et una vectura vel Fuhr constat 10 centumpondiis“; p. 163. „Alimenta dura . . . constare solent ex 4 vecturis Fuhr, lapidis calcinati“, etc.; sed forte legendum ferrea spatha, ut infr. p. 49. l. 4. spathas; l. 30. quavis pro gravis.

— 46. l. 2. et 20. ferrari. pro ferrace., ut habet autoris Regnum subt. s. m. de Ferro p. 174; l. 5. 6. longit. pro largit.; l. 15. et 26. Kübel pro Kabel, ut ibid.; l. 15. carbonum pro carbones, ut l. 26; l. 16. lestae, i. e. crates, ut habet Autor in opere de Ferro p. 129: „crates sive lestae carbonum“; l. 16. Suecicae pro Sueconae; l. 18. Schiefer pro Schiffer.

— 47. l. 4. Glaserz pro Glasertz; l. 18. 22. trudis pro trudes; l. 28. pulverulenta pro pulveriscenta; l. 5. infr. Schlammbank pro Slambenk.

— 48. l. 7. s. Schlammbank pro Slambenk; l. 8. Schlammherd pro Slamherd; l. 10. daturque pro datque; l. 18. Seifenwerk pro Seiffenwerck; l. 34. 36. bihorio pro bibario.

— 49. l. 13. illud pro illum; l. 32. stagninus et calidus pro stagnum et calidum; l. 33. lapide quodam pro lapidi quodam.

— 50. l. 27. Saxonico pro Saxonici; l. 34. qui pro quae.

— 51. l. 4. infr. quo pro qua.

— 52. l. 3. scoriae pro scoriam; l. 15. Quia pro Qua.

— 53. l. 10. fumicam pro fulvicam; l. 20. camini pro caminis; l. 1. infr. Kaiser pro Keyser.

Pag. 54. l. 20. suffitus pro suffis; l. 2. infr. Boleslavi pro Bodrilai. Cf. Topographia Bohemiae etc. 1650. p. 60.
— 55. l. 8. sunt pro est; l. 13. jam: sic forte in Mscto.; l. 17. obryzum pro abryzur; l. 24. pyritae pro pyriti; l. 29. tusoria pro fusoria, ut l. 32. 33.
— 56. l. 13. semunciae pro lotharum; l. 24. 6) pro 5).
— 57. l. 6. uno pro una; l. 9. semunciarum pro lotharum; l. 16. A pro Ab; l. 23. Aurantiis et Citreis pro oraniis et citroneis; l. 27. Aurantiorum et Citreorum pro orantiorum et citronum; l. 34. pervenisse pro pervenit.
— 58. l. 7. ante pro arte; l. 24. sed pro seu; l. 34. Henckelio pro Herkelio.
— 59. l. 1. Dresda pro Dresdia.

Bleystadt pro Pleystadt p. 41. l. 9. 14; p. 50. l. 13.
Clavellati pro Clavelli p. 41. l. 21. p. 42. l. 27.
Cobalt. pro Cobolt. p. 41. l. 5. 23; p. 42. l. 13. 23. 31. 37; p. 44. l. 6; p. 51. l. 1. infr.; p. 52 l. 26. et 30; p. 53. l. 8.
fit pro sit p. 41. l. 29.
Joachimsthal pro Joachimsdahl p. 41. l. 13; p. 49. l. 22; l. 2. infr.; p. 50. l. 5. 6; p. 51. l. 16; p. 52. l. 21. 24; p. 53. l. 8. infr.
Julii pro Juli p. 17. l. 24; p. 20. l. 5. infr.; p. 22. l. 14. 38; p. 23. l. 24; p. 29. l. 5; p. 30. l. 11. 29. 32; p. 32. l. 9; p. 34. l. 3. 8. 10.
Klafter pro Klaffter p. 56. l. 12.
Schlackenwald pro Slackenwald p. 34. l. 27. 31. p. 35. l. 1. p. 37. l. 24. 32.
Schlammbank pro Slambenk saepius.
Schönfeld pro Schönfeldt p. 34 l. 29. 33; p. 38. l. 16. ut p. 35. l. 7.
ventus pro ventum p. 49. l. 30. 32. 33. 34; p. 50. l. 2; p. 51. l. 29; p. 58. l. 29.

Adjeci p. 5. l. 11. [patrui]; p. 11. l. 13. [contra]; p. 15. l. 26. [7) De ejus celeritate]; p. 16. l. 4. 5. 5. 6.

[der]; l. 5. [den]; l. 27. [ein Werk unt. d.]; p. 25. l. 33. [Disquis. super]; p. 26. l. 19. [ut]. Cf. ipsum Fr. Blanchini Opus. p. 9. et Bibl. Ital. Tome VII. p. 88; p. 27. l. 24. s. [quae scripsit contra Librum Jurini, cui titulus:], ut ibid. T. IX. p. 202. s.; l. 26. [quae]; p. 35. l. 32. et p. 53. l. 10. [in]; p. 54. l. 27. [non]; p. 56. l. 19. [3]; p. 59. [Finit hic Itinerarii Pars latine scripta, sed sequuntur Excerpta ex libro cui titulus: Nachlese besonderer Nahrichten von Italien, etc. von Joachim Christoph Nemeitz, Leipzig 1726.]

Punctum delevi p. 3. l. 17. post Nicolai.

Comma delevi p. 25. l. 4. infr. post sequuntur.

— adjeci p. 20. l. 37. post ediderant; p. 25. l. 4. infr. post aequinoctia; p. 32. l. 4. infr. post Opticis; p. 33. l. 13. post ciocissimi; p. 52. l. 4. post vocatur.

Signum citationis adjeci p. 17. l. 20. post astres.

Ex hocce variantium Lectionum Indice cuivis constabit, Swedenborgium operi huic, in majori quodam scrinio Bibliothecae Academiae Regiae Holmiensis asservato, non extremam manum imposuisse, nec id tale quale nunc exstat vulgare voluisse, quanquam multae sane mendae solum Exemplo a me adhibito, quod amicus Theologus, cujus quidem et fidem et eruditionem perspectam habeo, cum Holmiae esset, propria manu mihi exscribebat, adscribendae erunt. Sed quia haec, meo saltem judicio, levioris momenti sunt, non operae pretium existimavi, ea propter operi, quod multi jam diu desideraverant, edendo moram inferre.

ERRATA.

Pag. 16. l. 9. post carbonibus dele comma.
— 22. l. 7. post applicata pone Comma.
— 23. l. 4. pro altum l. altam.
— 44. l. 9. pro qui l. quae.

EM. SWEDENBORGII,

OLIM REGNI SUECIAE COLLEGII METALLICI ASSESSORIS, ET
PLURIUM ACADEMIARUM MEMBRI,

ITINERARIUM

EX OPERIBUS

EJUS POSTHUMIS IN MUSEO ACADEMIAE
REGIAE HOLMIENSIS ASSERVATIS

NUNC PRIMUM EDIDIT

D^r JO. FR. IM. TAFEL,

REGIAE BIBLIOTHECAE UNIVERSITATIS TUBINGENSIS PRAEFECTUS.

SECTIO SECUNDA,

CONTINENS PARTEM SUECICE SCRIPTAM ET NUNC IN
LATINUM TRANSLATAM.

STUTTGARDIAE
APUD EBNER ET SEUBERT.
1844.

LECTORI.

Quod tibi L. C. in sequentibus paginis offertur itinerarium, ab ipso Swedenborgio suecice conscriptum est, et inter reliqua illius Msc[ta] Holmiae in Bibliotheca Academiae Scientiarum et quidem in volumine, cui inscribitur: « Varia Philosophica, Anatomica et Itineraria » pag. 498 — 542. *invenitur. Ad finem hujus itinerarii lectores allegantur ad pag.* 737, *ubi reliqua itineris descriptio promittitur. At non minus haec pagina quam ipsa descriptionis series pro dolor! in illo volumine desideratur, neque illas, utcunque rimabar, ullibi in reliquis Msc[tis] reperire potui. Itaque adhuc inter spem metumque teneor, utrum hanc itinerarii continuationem temporis injuria plane nobis deperditam existimem, an in alia quadam Bibliotheca fortasse superstes, nobis vel saltem posteris adhuc conservetur. Interea sive illam olim sperare, sive ut jam nobis in perpetuum abreptam non nisi plangere licet, quod e manu Swedenborgii vel mancum et mutilatum habemus, ab edaci aevo vindicare et ante typis in publicum emittere, quam a blattis et tineis corrosum fuerit, aequitatis pietatisque esse videtur. Cumque non minus in Germania quam in Britannia doctissimi iidemque vitae Swedenborgii studiosissimi Viri, quibus multa debeo, a me petiverint, ut suecanum itinerarii textum in linguam latinam transferrem, hanc illorum petitionem recusare neque volui neque potui; quamvis ipsa translatio plures habuit difficultates, ad quas superandas ego fortasse nequaquam fui idoneus. Sic hoc Msc[tum] lituris ac vocibus abbreviatis abundat tamque negligenti stilo exaratum est, ut nonnulli ejus loci vix ab ullo legi aut intelligi posse videantur, id quod satis indicat, Scriptorem haec non aliis sed sibi soli literis mandasse, scilicet ut, cum in patriam redux esset, haberet omnino, quo singula, quae apud exteros viderat et admiratus fuerat, in memoriam posset revocare. Praeterea in hoc*

itinerario de hominibus, locis et rebus nonnumquam mentio fit, quorum me nullam habere cognitionem ingenue fateor, quaeque ideo nescio, rectene an perperam legerim reddiderimque. At in omnibus his offendiculis defectibusque nonnihil utilitatis oblectationisque ex his annotatiunculis itinerariis ii saltem capient, quibus omnia Swedenborgii studia totumque vitae curriculum cordi sunt, quosque juvat haec legentes per tria annorum spatia cum eo veluti peregrinari. Atque his optimis Viris hanc opellam latine verti, neque immerito; siquidem illorum sumtu et liberalitate non minus hoc quam reliqua Swedenborgii opera posthuma in publicum prodeunt.

Cum Holmiae anno 1835 *versarer et Msc*[ta] *Swedenborgii fugitivis saltem oculis percurrerem, incidi quoque in hoc itinerarium, cujus epitomen i. e. quantum ex eo legere et intelligere possem, jam tum exscripsi, nondum mihi persuasum habens, quem in usum id potissimum conferrem. Eodem anno, postquam Holmiam reliqueram, illuc advenit Germanicus Literator, cujus ne nomen quidem tum mihi notum fuit, et nostris vestigiis insistens, plenius itinerarii exemplar sibi descripsit. Contigit deinde, nescio quo fortunae favore, ut etiam illius exemplar benignitate Amici plurimum colendi in meam ditionem caderet, adeo ut, cum hanc translationem elaborarem, ambo exempla inter se possem conferre et mutuo illorum auxilio sublevatus, absentiam ipsius Msc*[ti] *minus desiderarem. Quas tamen omni adhibita cura animique contentione frustra legere conatus sum periodos praeterii omnino, omissorum loco nonnulla punctula in hunc modum . . . . . . signans. Quae vero mihi videbantur vel ignota vel dubia et incerta vocabula, exposui quidem et reddidi, at, — non ut volui sed ut potui, spe fretus, fore ut si quid rectius scias vel conjicias L. C., nostro errori candidus ignoscas eumque corrigas, sin minus his, qualiacumque sint, benevolus nobiscum utaris.*

Lundae 1. *Martii* 1844.

A. K.

DESCRIPTIO ITINERUM MEORUM.

Profectus sum anno 1710 Gothoburgum, ut inde Londinium navi transveherer. In itinere quatuor vitae periculis expositus fui; primum prope syrtin, ubi, obortis atris nebulis et navi vado appulsa, carina vix quadrantem ab aestu arenae abfuit, adeo ut nos omnes perituros crederemus; deinde piratas Danicos, qui se Gallicos simulabant, non sine discrimine evitavimus; tandem proxima vespera Britannica navis, quae nos hos piratas esse falso suspicabatur, pulvere pyrio et tormentis bellicis, parum tamen nocentibus, in nos jaculata est; denique in ipso Londinio graviori periculo obnoxius fui. Nobis jam portum occupantibus in cymba advenerunt populares nonnulli, qui me secum in Urbem ut properarem persuaserunt. Jam autem Londinii innotuerat, pestem in Suecia grassari; quare advenientibus Suecanis edicto vetitum fuerat, per sex hebdomades vel quadraginta dies naves suas relinquere. Hac lege a me violata, suspendio finitimus fui, a quo mortis gradu ea tamen sub conditione liberabar, ne patibulum effugeret, si quis postea idem auderet.

Londinii et Oxonii moratus sum integrum circiter annum. Inde Hollandiam petii et praecipuas urbes visi. Ultrajecti diu versatus sum durante Congressu et huc confluentibus Legatis aulicis totius fere Europae. Inde in Galliam profectus sum et per Bruxellas ac Valentianas Lutetiam Parisiorum adveni. Hic et Versaliis annum degi. Quo peracto ope cursus publici (Ridpost) per Insulas (Ryssel s. Lille [L'isle]) Hamburgum et inde Pomeraniam et Gryphiswaldiam properavi, ubi satis diu moratus sum, Rege Carolo XII. Bendera (Bender) Stralsundiam veniente. Cum obsessio inciperet, una cum Domina quadam nomine Feif celoce vectus Numinis

providentia in patriam redux fui, quatuor et quod excurrit annis apud exteros peractis.

Verno tempore anni 1721 iterum peregrinatus sum, per Hafniam et Hamburgum in Hollandiam tendens, ubi prodromum meum principiorum rerum naturalium et plures libros in 8° edidi.

Inde Aquisgranum, Leodium et Coloniam Agrippinam proficiscens, metalla quae circumcirca sunt visitavi. Tandem Lipsiam veni, ubi miscellanea observata edidi, inde me ad Saxonicas metallorum fodinas et Hamburgum conferens. Hinc reversus Brunsvicum, Goslariam et fodinas montium sylvae Hercyniae cum Hannoveranas tum Lüneburgicas invisi. Blankenburgi a Duce Ludovico Rudolpho, qui fuit Socer filii Imperatoris, humanissime acceptus sum. Confeci totum iter sumtibus hujus Principis, qui mihi nummum aureum et argenteum Cantharum caldarium magni ponderis in memoriam sui dedit praeter alia gratiae et benevolentiae documenta.

Cum annum et tres menses apud exteros commoratus fuissem, per Hamburgum et Stralsundiam reversus primum Istadium deinde Holmiam petii.

Anno 1733 mense Maji, permissione Regis peregre profectus sum, per Istadium, Stralsundiam, Anclamum, Berolinum et Dresdam Lipsiam adveni, ubi typis edidi Principia mea rerum naturalium et Regnum subterraneum de Ferro et Cupro, in folio, atque Prodromum philosophiae ratiocinantis de Infinito etc. Hinc me ad Cassellas contuli, fodinas earum usque ad Smalcaldiam peragrans; unde per Gotham, Brunsvicum, Hamburgum et Istadium properavi Holmiam, quo perveni mense Julii 1734, cum Regni comitia ibi haberentur. Quos doctos Viros in his itineribus adivi mihique familiares reddidi brevitatis ratio commemorare vetat. Sufficit dicere, me nullam ejusmodi occasionem neglexisse et insuper Bibliothecas, Musea et alias res, memoria et attentione dignas, nunquam non inspexisse.

1 7 3 6.

[MSC. Pag. 498. ss.]

Die 1 Julii anno 1736, data ab Augustissimo Rege venia, per tres vel quatuor annos peregre profectus sum, ut opus quoddam literarium conscriberem et in publicum emitterem.

D. 3. Julii Regi ac Reginae, in palatio Carlberg me benigne excipientibus, abiturus perofficiose salutem dixi. Intra tertium et decimum hujus mensis diem Regni Consiliarios aliosque fautores et nono die Collegii Assessores salutavi.

Itineris causa dimidiam partem de salario annuo cessi, ex qua trecenti thaleri argentei Secretario Porath, qui vicibus meis fungeretur, contigerunt. Illius provinciae interea praeesset Advocatus Bierchenius, Bierchenii munus gereret Notarius Thunberg, cujus partes demum ageret Juvenis Notarius, qui reliquos trecentos thaleros pro mercede haberet. Redux tamen pristini muneris officia et jura inirem.

D. 10. Julii hora post meridiem secunda Holmiam reliqui, comitatus usque ad diversorium Fittjam ab Anglo Fennick et ab amicis Boman et Hultman. Eodem die a Norcopia usque ad Ustadium saevissima furit tempestas. Campi tremuêre tonitru et fulgura de coelo micuerunt, qualia nemo antea meminit, adeo ut aër fere igneus videretur. Pecora et homines passim fulminum ictibus percussi, et quaedam Scaniae praedia incensa atque exusta, nulla vero templa damno affecta. Quamvis integram proficiscerer noctem, ab Holmia ad Nicopiam, neque ulla audivi tonitrua nec vidi fulgura.

11.) Veni Nicopiam, ubi forte incidi in Pastorem Croll, in Le Febre et in actorem publicum Brock, qui eundem coeli fragorem mihi nuntiarunt.

1

12.) Veni Lincopiam, et apud Episcopum Benzelium ac Sororem meam Annam Svedenborg integrum diem cum nocte commoratus sum.

13.) Illinc per Grennam et Junecopiam ulterius profectus sum.

16.) Veni Helsingoburgum [Helsingborg], ubi cum praefecto castelli Lannerstierna et cum decurione urbis Sylvio collocutus sum.

17.) Sub vehementi tempestate, quae tres dies duravit, et reflante vento transfretavi Helsingoram tendens. Cum illuc pervenissem, mutatus fuit ventus, et sedata tempestas. Praefecto castelli ac militum Duci Refvenfeldt et Commissario Grill exhibui diploma itineris mei. Hora secunda post meridiem Hafniam profectus sum via juxta litus ferente, ubi prospectus pulcherrimus in regione admodum venusta. Post iter quinque horarum attigi hospitium Hafniae, Krämer-Compagnie nominatum et ex adverso novae Arcis regiae, quae nunc exstruitur, situm.

18.) Fui in templo Christineholm, ubi Liturgia Danica modo in nonnullis caeremoniis a Suecana differebat, v. c. Sacerdos habebat limbum collarem, cui suppositus niger pannus. E suggestu benedictio praelegebatur; propter sacram coenam, quae distribuebatur, duae candelae in altari accensae; amiculum liturgicum sacerdoti induebatur ab apparitore coram altari; praeter organum pneumaticum et pictam altaris tabulam nulla in templo neque ornamenta neque epitaphia; loco sacculi eleemosynarii, quo nos utimur, porrigebatur theca, in quam quisque pro arbitrio nummulos conjiceret. Fui deinde in duobus hortis publicis, quorum unus, in ipso foro plantatus, rotundam habet formam; heic eminet statua Christiani V^ti^ aenea, equo vecti, sub cujus pedibus jacet homo, manu tenens anguem. Ex uno latere stant Herculis et Palladis simulacra etiam aenea, — — — — — — in tertio et quarto cernuntur arma et insignia *).

---

*) Nunc temporis cernitur in uno Stylobatae latere imago Minervae, in altero Herculis, in tertio Alexandri Magni

Alter hortus satis amplus et valde amoenus; hic magna rerum varietas, pulcherrima ambulacra, fruticeta et xysti cum multitudine imaginum et simulacrorum ex aere et gypso, inter quae Simsonis statua, leonem discerpentis. Aurantiarium praecipua attentione dignum videtur; hic 160 mali Assyriae multaeque lauri, non in mobilibus urnis et amphoris, sed in frigida, ut ajunt, humo plantatae sunt, quae aestate sub divo crescunt et durante hieme sub impositis tectis et fenestris conservantur.

19.) A meridie usque ad vesperam apud legatum Schultenhjelm fui. Inter viros Hafniae, qui doctrinae famam sibi comparaverant, praecipuis laudibus efferebantur Consiliarius justitiae [Justitierodet] et Bibliothecarius Kramer, qui historiam atque rem literariam profitetur et Professor Holberg, qui Comoedias et historiam Norvegiae scripsit. Cum Minister Regis primarius Rosenkrantz tum alii literali de opere, quod edidi, benignius judicarunt. Etiam Wolfius in theologia naturali, quem librum hodie vidi, me tecte et suppresso nomine respicere videbatur.

21.) Legi Wolfii Ontologiam et Cosmologiam, e quibus excerpsi ea, quáe mihi ad prima illius philosophiae principia diligentius examinanda in itinere necessaria videbantur.

22.) Fui cum Secretario Witt in Bibliotheca, quae magnifica optimeque ordinata est et a qua jam ad aliam provinciam abiit Bibliothecarius Kramer. Hic septuaginta millia voluminum conservantur; libri in 8° superne stant, ad quos aditus in exhedra patet. Inter palaeotypos monstrantur Ciceronis Opera, Moguntiae 1456 typis expressa, qui liber primus fuisse fertur, qui hic e prelo exibat. Vidi quoque mea scripta, suspicante tamen nemine, me illorum auctorem esse. Perlustravi deinde navalia, quae nunc exstrui coepta erant. Quamvis illa penitus intrare non liceret, vel obiter intuenti satis constat, ea valde ampla et quidem circiter centum et octoginta ulnas longa

---

cum nodo Gordio et in quarto Gloriae, pyramidem portantis. *Nota interpretis.*

esse, atque latera plancis et trabibus munita. Ex imo fundo venae aquarum exsilire dicuntur, quae operariis impedimento sunt atque opus non minus laboriosum quam sumtuosum reddunt. Argilla interim obturantur scaturigines, ne sumtus exhauriendae aquae nimius sit ac sempiternus.

Fui etiam in stabulo Regis, ubi centum equi stant, et cuivis suum nomen superscriptum. Vidi palatium regium, quod futuram etiam nunc prodit magnificentiam; murus illius tres ulnas latus et centum ac viginti passus longus in forma quadrata — — — — — —. Ceterum videbatur urbs satis splendida esse, et equis, curribus, vestibus etiam pedissequorum, conviviis et ducentis rhedis quasi superbire. Tam fanatico pietismo vel quakerismo plebs inquinata esse commemoratur, ut multi se Deo gratos credant, si sibimet ipsis aut aliis mortem consciscant, cujus insaniae non pauca nominantur exempla. Portus adeo profundus et amplus, ut naves etiam ab India Orientali venientes usque in Urbem penetrare possint. Daniae Rex prudentia et auctoritate valet. Liberalitas illius tanta est, ut vel quinque aut sex millia thalerorum haud raro in regiis stipendiis distribuat. Etiam regni Princeps Hereditarius, qui modo tredecim annos natus est, optimae indolis esse perhibetur. In magno horto est una cum regalibus thesaurus, cujus claves ipse Rex servare solet. Per aestatem plerumque in arce regia Fredricksborg, quatuor circiter milliaria ab Urbe distante, ubi pulcherrimus hortus, commoratur. Auro, argento et gemmis vestimenta distinguere et ornare legibus prohibitum est.

23.) Fui in Museo. Infra in vestibulo conspiciuntur 1) parvus Elephas, 2) taurus admodum magnus, 3) effigies equi Danici gypsea, 4) picta cornua cervina, quatuor vel quinque ulnas alta, 5) pictus gigas, tredecim ulnas longus, quem quondam repertum ferunt. In porticu Musei late patente satis multae tabulae magni pretii et non minus antiqui quam recentioris aevi. In secundo conclavi est tabula mirificae artis, repraesentans ardentem in atra

nocte lucernam, numi memoriales et numismata undique collecta, cum Romana tum Graeca, tempore Alexandri et Philippi cusa; in tertio conclavi mineralia et lapides; in armario, quod ad angulum stat, conservantur majora ac minora fragmenta nativi auri atque argenti, quorum unum vel alterum trium millium thalerorum pretium habet, plantae et arbores in lapides versae, quas petrificata appellamus, adamantes, smaragdi, hyacinthi, marmor, praeter animalia stramento referta, mumias Aegyptiacas atque res raras et visu dignas ab insula Japan et India Orientali. In conclavi interiori cernuntur plura artificia eburnea, lignea, lapidea et margaritata, varia instrumentorum genera, in quibus bonum speculum causticum, e chalybe factum. In ultimo conclavi monstrantur simulacra cerea, partus monstrosi, ut infans, cui duo capita, cornua aurea, paucis antehac annis in Holsatia nec profunde in terra cum aliis cornibus reperta, urna aurea et poculum Reginae Margarethae. His visis quaesivi hospitium cursus publici, ut Hamburgum proficiscerer. In charta geographica notavi viam, quae it super Seelandiam, Freta Balthica, Fioniam, Slesvicum et Holsatiam ad Hamburgum. Dania complectitur insulas: Seelandiam, Fioniam, Falstriam, Langelandiam, Alsenam et Firmeram, atque in terra continenti: Jutiam, Slesvicum et Holsatiam. Holsatia constat ex Holsatia proprie sic dicta, Dithmarsia, Vagria et Stormaria.

24.) Hora post meridiem quarta reliqui Hafniam et veni hora octava Rotschildam, ubi pax Rotschildica inita est. Quarta urbis pars incensa et solo aequata est a duodecim vel tredecim incendiariis, qui jam deprehensi sunt.

25.) Continuavi iter ad Ringstadium, oppidulum ita e Rege Ring appellatum, tum praeter Soram, etiam oppidulum pulchre situm, ad Slagelse et tandem ad Korsör, freto Balthico magno finitimum, ubi est castellum. Hafnia a Korsör quatuordecim milliaria distat. In Seelandia nulli montes, clivi et juga, sed aequa ubivis agrorum planities et luci ac silvae fagineae, hic et illic plantatae. Ad Korsör observavi accessum et recessum maris, quos alibi in

Dania vix animadvertere licet. Hic ut Neoburgi est contubernium nautis.

26.) Super Fretum Balthicum magnum praeter Insulam Spröe, ubi e longinquo cernitur Langelandia, vectus perveni Neoburgum, unde me contuli ad urbem Odensee quae in media Fionia sita est et quatuor templa habet.

27.) Perveni ad oppidulum Assens, novem Milliaria a Neoburgo distans, quae longitudo Fioniae est. Fretum Balthicum magnum est quatuor milliaria latum, et Fretum Balthicum parvum duo milliaria, nempe ab Assens ad Arroesund, qui vicus ab Hafnia distat novem et viginti milliaria et jacet in dimidia via inter Hafniam et Hamburgum. Fionia est ejusdem magnitudinis atque Seelandia. Ab Arroesund ad Hadersleben properavi, quod oppidulum in Slesvico vel Holsatia Danica situm est.

28.) Perveni Flenopolin [Flensburg] oppidum venustum, cui una platea admodum longa. Huc confluit navium multitudo, quae cannabin, linum, vinum aliasque merces hic emunt venduntque. Praeterii Slesvicum, ubi cernitur vallus ille, tempore Ottonis Imperatoris, cum Christianam religionem in Daniam introducere vellet, ab uno maris litore ad alterum paratus.

29.) Perveni Rendesburgum, pulcherrimam Daniae arcem cum tribus vel quatuor millibus militum praesidiariorum. Ceterum oppidum sane exiguum, praeter horrea et armamentaria. Hinc petii Itzehoam, oppidum satis magnum.

30.) Perveni Elmeshorniam praeter Tychopolin [Glückstadt] arcem Dithmarsiae, quam vulgo Marsiam vocant. Haec provincia primo adspectu Hollandiae haud dissimilis est. Agri aequales, amoeni, hortorum instar culti, canalibus intersecti et aggeribus ac molibus ab inundatione maris defensi. Ipsa regio fertilissima, frequenter habitata, populosa et non minus agrorum quam armentorum proventu ditissima, maximos dat reditus. Hinc me contuli ad vicum Pinnebergam, unde hora post meridiem quinta Hamburgum adveni. Spatium ab Hafnia ad Hamburgum est 52 milliariis terra et 6 mari, adeoque una ab altera distat 58 milliaria. Cum socio itineris,

Mercatore Johanne Klöker, natione Dano, nunc tamen jure civitatis Burdigalae [Bourdeaux] donato, in deversorio, Nigra Aquila aut Schwarzer Adler nominato, deversabar.

31.) Collocutus sum cum Commissario König et Mercatore Georgio Schneider.

Aug. 1.) Fui cum Commissario König, Domino Cederström et fabricae Procuratore in Fabrica porcellanicorum, cujus vasa, catillos et pateras lustravi, quae tamen operibus porcellanariis Holmiae non parum cedunt. Gubernatio Hamburgi geritur a 4 Consulibus, quorum 2 seniores, a 25 Buleutis, 5 Syndicis, 3 Secretariis et 1 Protonotario. Consulum cuivis annua merces 4000 Thalerorum conceditur.

2.) Fui apud Christanum Wolf, Pastorem templi St. Catharinae, qui mihi monstravit 60 tomos cum in maxima tum in quaternaria forma, continentes plura millia epistolarum originalium doctissimorum Virorum atque varia Manuscripta in linguis Orientalibus. Illas acceperat a Decurione quodam nomine Schminkio. Coenavi cum temerario [étourdi] sic dicto Principe de Mogul.

3.) Fui domi studiis occupatus, et apud Schneider, ut literas, quas Creditio appellamus, ab eo acciperem.

4.) Hamburgo per mare profectus sum Harburgum, longum sane oppidum, arce instructum. Inde contuli me ad vicum Zahrendorf, tum

5.) ad vicum Witzendorf et tandem Cellam [Zell] pulchram urbem, ad quam via per incultos campos et tesqua ducit.

6.) Perveni praeter praediolum Langthal Hannoveram, ubi habitabam in deversorio, Anglica Corona appellato et ex adverso domus rei tabellariae sito. Rex versabatur in Herrenhausen.

7.) Fui in Herrenhausen ejusque horto. Haec villa 4500 ulnas vel ¼ milliarii suecani ab urbe distat. Hortus magnus est. Ad introitum cernuntur: 1) horologium solare ad omnes coeli plagas et versuras positum, 2) 24 magnae statuae gypseae, 3) arbores, quarum rami in formas pyramidum et conorum secti, 4) ulterius ad utrumque latus

vivae saepes sex ulnas altae, 5) in remoto secessu duo umbracula, 6) a sinistro latere theatrum, coram quo cisterna cum duplici fonte in altum saliente. Adhuc remotius cernuntur: 7) amphitheatrum, in quo parvae statuae, quarum quatuor familiam regiam repraesentant, et ipso palatio propius nonnullae etiam parvae statuae, ex aere corinthico confectae, 8) cataracta in antro, ubi aqua in amplioribus amplioribusque conchis recipitur atque 9) aurantiarium, in quo multae arbores non admodum magnae. In ipsa urbe est machina hydraulica, quae urbicolis dulcem aquam praebet. Judaei quoque hic synagogam habent. Urbs, quae haud exigua et bene munita est, constat e duabus partibus, antiqua nimirum et nova, quae Neustadt appellatur, praeter domos extra muros.

8.) Fui in pluribus templis. Hic quinque sunt, quorum unum Reformatum et alterum Catholicum. Omnes mortui extra urbem, ubi ampla coemeteria, sepeliuntur.

9.) Fui in stabulo regis, a pluries centenis equis, forma et colore insignibus, quorum nonnulli subcaerulei, impleto; hic quoque muli modicae magnitudinis sunt. Cellae etiam vidi stabulum. Fui in platea, sic dicta mont brillant, quae pulcherrima est et fruticetis, arboribus vario modo sectis, malis citreis, quinque hydraulis et rivulis circumdata.

10. et 11.) Metaphysicis studiis occupatus fui praeterquam quod ambulavi extra urbem, visurus regionem circumjacentem, valla, fossas et reliqua munimenta.

12.) Hannoveram relinquens accinxi me itineri versus Osnabrugam. Primo die praeterii oppidulum nomine Brunstorp nec longius perveni quam ad primam stationem, Leese dictam, ubi pernoctavi.

13.) Trajectus supra flumen Visurgin per stationes Stolzenau, Diepenau et Boomte.

14.) Perveni Osnabrugam, quae subjecta est Principi Electori Coloniae Agrippinae. Hic sunt tria Catholica et duo Evangelica templa, scholae Jesuitarum, quatuor Monasteria, unum prope urbem, Gertrudense monasterium appellatum, nobilium virginum gratia institutum, nec non

villa Petersburg cum horto. Hinc per Ipenburc et Rhine perveni

15.) ad Bentheim, urbem nullius fere momenti in monte sitam, cum arce perantiqua in cacumine montis. Subjecta est Comiti a Bentheim, sed praesidio militum Coloniensi custodita.

16.) Hinc trans flumen Issel per Vorthusen et Amersfordiam veni Nardenum vel per Transisalanam provinciam [Ober-Yssel] et Geldriam ad Hollandiam. Nardenum est munitissima arx septem foederatarum provinciarum et urbs ornatissima. Pernoctavi ex adverso domus rei tabellariae. Amersfordia quoque est pulchra et magna urbs. In agris vicinis colitur nicotiana tabacum copiosissime, quae ut res mercatoria ad Norvegiam et Sueciam transportatur. De cetero observatione dignum est, hic nullum frumenti genus praeter polygonum fagopyrum terrae mandari. Pluribus in locis vidi lucos quernos. Circum Amersfordiam multi patent campi steriles et paludes bituminosae, quae conservantur propter terram caminariam, quae inde effoditur.

17.) Nardeno profectus, petii Amstelodamum, cymba tractoria [Trekschuit] vectus. Hic hospitatus sum in deversorio aurati Leonis et commoratus usque ad vesperam diei 20^{mi}. Plures invisi amicos. Tota urbs non nisi lucrum spirabat.

20.) Cymba tractoria vectus perveni Goudam (Ter Gouw) quae pulchra urbs est.

21.) Goudae adscendi curriculum levem et artificiose constructum, in quo sex homines capi possunt, et viam versus Roterodamum carpsi, quae strata est lapidibus latericiis erectis quemadmodum circum Amstelodamum. Ad viam sunt nonnullae laterariae et magnae congeries terrae fossilis, quae sole siccatur et pluviali tempore stragulis tegitur, e junco factis, qui hic copiose crescit, ut massa satis sit arida et apta ad ignem alendum. Hic nulli cernuntur agri, sed tantum prata, ubi armenta pascunt, unde maximus casei proventus. Tandem perveni Roterodamum ibique pernoctavi. Nundinae tum agebantur, in quibus

inter reliquas merces admirabar multitudinem tabularum, quae venales habebantur. Oblectationis recreationisque causa ingruente vespera adii theatrum et vidi funambulum, qui motus saltusque maxima cum dexteritate agilitateque in fune egit et per gradus scalae a summo, ubi capite nixus varias fecit versuras, ad imum repsit. Vidi quoque neurospasta et oscilla quae celerrime ab una in alteram formam ut a feminis in viros et a viris in molas pneumaticas, alis instructas, et sic porro mirifica arte et industria commutabantur. Mercatorum curia excellentissima est, quam equidem viderim, minus tamen hic quam Amstelodami a mercatoribus et aliis civibus frequentata, qui hominum confluxus maxime ejusmodi Basilicam ornat. Hic animum subit, quid sit, cur Deus populum tam barbarum et ferum quam Hollandos tanta glebae fertilitate ubertateque prosperaverit, cur illos per tot annorum decursum ab omnibus infortuniis liberaverit, eos super omnes alias gentes commercio evexerit eorumque provincias sedem fecerit, in quam confluunt Europae aliarumque terrarum divitiae. Mihi haec reputanti, prima atque praecipua illius prosperitatis causa esse videbatur, Hollandiam esse rempublicam, quae regiminis forma Deo magis quam absolutum imperium placet, ut etiam ex historia Romae cernitur. In republica nulli homini veneratio et cultus conceditur, sed summus et infimus regi ac imperatori se parem existimat, id quod ex indole et natura unius cujusque in Hollandia cernitur. Unicus, quem venerantur, est Deus. Et cum solus colitur, nec homines Illius loco adorantur, id ei jucundissimum est. Deinde in Hollandia summa est libertas. Nulli servi, sed omnes veluti domini sub imperio Dei Altissimi reguntur, unde fit, ut neque pudore neque metu magnanimitatem suam deprimant, sed semper firmam et sanam mentem in sano corpore conservent et libero spiritu atque erecto vultu se suaque Deo committant, qui solus omnia gubernare vult. Aliter in absolutis imperiis, ubi homines ad simulationem dissimulationemque educantur, ubi aliud pectore clausum, aliud lingua promtum habere discunt, ubi animi

longa consuetudine ita ficti et velut infucati redduntur, ut in ipso divino cultu aliud dicant ac cogitent, ipsique Deo adulationem fallaciamque suam litent, quod ei certe magnopere displicebit. Haec causa esse videtur, cur Hollandis prae aliis nationibus omnia prospere successerint. Eos vero pro Summo Numine Mammonam colere et nihil praeter aurum curare, res est, quae cum diuturna prosperitate non bene consociari videtur. At fortasse sunt decem inter mille aut decem millia, qui poenam avertunt et reliquos hujus vitae bonis abundantes et secum fortunatos efficiunt.

22.) Roterodamo navi profectus sum Antwerpiam. Primum perveni Dordracum quae pulchra urbs est, in cujus vicinitate multae molae pneumaticae, eleganter exstructae, cernuntur, quarum nonnullae e cemento et lapidibus e longinquo transportatis et e ruderibus, quae alte in terra occuluntur, effossis, aedificatae sunt. Hic quoque officina salaria est.

23.) Perveni Guilielmostadium, arcem bene munitam, et Bercizomam. A dextra parte contemplatus sum Zeelandiam cum suis insulis, quae valde humilis est et aggeribus ab inundatione defendenda. In ripa multi conspiciuntur horti.

24.) Perveni Lilloam, parvam quidem urbem, et tandem Antwerpiam. In hac navigatione nihil molesti occurrit praeterquam quod nauclerus morosus et inhumanus fuit, nec multa quiete in conclavi nautico sub nocte propter Vectorum multitudinem frui licuit. Accessus et recessus maris non parvas navigandi moras fecere. Antwerpiae fui ab hora quarta ad undecimam post meridiem. Perlustravi pulchrum templum Mariae Virginis [Notre Dame], in quo duae altarium series, quorum duodecim sunt praeter plura, quae circum Adytum et ad utrumque latus exstant. Ad unum altare prope januam dextram intueri contigit eximiam tabulam repraesentantem Christum e cruce sublatum, quae tabula non nisi raro retegitur et monstratur. Turris est intersecta, alte in illa e templo cernitur tecti

pictura, quae Christi adscensum in coelum adumbrat. A Roterodamo ad Antwerpiam sunt 18 milliaria.

25.) Nocte magna navi vectus sum ad Boom. Hic adscendi magnam cymbam tractoriam 40 ulnas longam et 6 latam cum pulchris cubiculis et in prora tegmen, sub quo vectores sedebant. Cymbae tractoriae, equis vectae, quinquies mutabantur. Fuit jucunda et amoena profectio. Ex utroque latere plantaria. Populus fuit civilis, et ejus urbanitas cum rusticitate et vastitate Hollandorum comparata, clarius illuxit. Vilvordiam transivimus. Terra utriusque ripae aqua humilior, quae ut intumuit, repagulis et portis coërcenda, et nobis ab una in alteram cymbam transeundum. Hora circiter undecima ante meridiem pervenimus Bruxellam, ubi hospitabar post Curiam apud hominem quendam nomine Canter. Ab Antwerpia ad Bruxellam sunt 8 milliaria. Fui in templo cathedrali, quod maxime ornatur 14 columnis, quarum singulae suam statuam et altare habent et acanthis ac corymbis circumcinctae sunt. Praeter reliqua templa, quae visi, fui etiam in praecipuis curiae conclavibus, ubi admirari licet tapetia et aulaea, Bruxellae fabricata, quae Parisiis a Coblent quodam facta superant, tantamque naturam et quasi vitam exprimunt, ut nemo pictor illa melius pingere potuisset. Hoc opificii genus adhuc Bruxellae viget. Domus circum forum et alibi in urbe valde inauratae fuerunt, multis fenestris instructae, et architecturae perantiquae. Fui etiam in armamentario, ubi monstrabantur res rarae et singulares, dona Imperatoris, ut coccinum, duo clypei praeclari operis, unus e ferro fabricatus sed auro circumdatus, alter quoque e ferro sed damasceno encausto pictus et distinctus magnique pretii, Imperatoris gladius et quae sunt cetera. Vidi quoque stabulum multaque alia.

In itinere Bruxellam versus erant duo Monachi Franciscani discalceati in cymba tractoria, quorum unus, uno veluti affixus loco, in tabulato per quatuor horas stabat, preces pie ac devote fundens fortasse pro iter facientibus. Hic precandi mos sine dubio Deo gratus, si a vera veneratione et fideli ac puro animo profluit nec a simu-

lata et hypocritica mente ut Pharisaei precabantur. Preces multum valent, ut apud Mosen, cum populus rebellis esset, et ex aliis exemplis cernitur. Paulus quoque voluit, ut alii pro ipso precarentur.

26.) Fui in parte sinistra Basilicae, ubi altare cum tabula altaris ex argento, majora et minora candelabra argentea aliaque ornamenta pretiosissima cernuntur. Missa celebrabatur, quae ita comparata est, ut per res magnificas, in externos sensus velut incurrentes, mens et animus ad altas et sublimes cogitationes de Summo Numine et religione evehatur. Hinc dorsi curvatio, poplitum inclinatio, genuum flexio et omnis illa species ac pompa, quae oculos ferit, hinc musica et cantus, qui aures implet et delectat, hinc aromata et alia fragrantia quae nares demulcent, hinc omnia illa insignia, splendida et magnifica, quae sensus afficiunt, externa via ad venerationem ducunt et hominum animos ad altiora extollunt, quoniam sensus externi eos plerumque ad diligentius accuratiusque cogitandum perducunt.

28.) Hora ante meridiem octava profectus sum a Bruxella ad Tübize, inde ad Baine et denique ad Castenau, qui vici oppidorum instar pulchri et magni sunt. Ingruente vespera veni ad Mons, quae urbs bene exstructa, arce et multis propugnaculis exterioribus munitissima et paene impugnabilis, habet magnum praesidium, multa templa et spatiosum forum. Populosa haec urbs a Bruxella 10 millaria distat. Tota via e planis lapidibus structa et arboribus, in utroque latere plantatis, horti instar circumdata est.

29.) Matutino tempore me contuli a Mons ad Kievrain et Valentianas, quae urbs, quamvis non admodum magna, pulchras tamen domos habet. Arx est mediocris. A parte versus Cameracum [Cambray] sunt altiora loca, unde urbs facile tormentorum ictibus urgeri et oppugnari potest, adeo ut diu defendi non posse videatur. Fui in templo Notre Dame. Nundinae et dies festus agebantur. Argentea templi vasa exposita erant, inter quae 45 cistae, ossibus sanctorum et martyrum plenae et satis magnae,

praesertim duae, in ipso adyto collocatae. Alia magna ornamenta argentea, etiam 45 per totum templum exhibita videbantur, praeter candelabra et alia decoramina, quae majora atque antiqua. Plura fortasse minora et recentiora abscondita erant; ingens sane templi thesaurus.

30.) A Valentianis versus Abun iter carpsi, et inde ad Buchanium [Bouchain]. Hora circiter quarta perveni Cameracum, quae urbs habet antiquas domos, duo fora, magna templa, praeclarum castellum cum multis propugnaculis exterioribus. Inter optime cultos et latissime patentes agros via veluti currit.

31.) A Cameraco continuavi iter, etiam inter agros fertiles flexum, ad Mez et ad Peronne, quae urbs in Picardia sita est. Ipsa pusilla est, sed habet magna et pulchra templa, magnifica monasteria, mediocria munimenta, et incolas, inopia et paupertate laborantes.

1. Sept.) A Peronne perveni ad Roye, quae miserabilis urbs est. Monachi, coenobia et templa, generatim considerata, divitiis abundant et terram possident. Monachi sunt pingues et corpulenti, quorum exercitus sine jactura proscribi posset. Genio indulgent, undique sibi rapiunt, nihil pauperibus praeter bona verba et benedictiones largiuntur, omnia tamen ab iis gratis accipere volunt. Cui bono sunt Monachi Franciscani discalceati? — — — — Reliqui sunt graciles, alacres, macilenti, ire pedibus quam curru aut equo vehi malunt; benigni sunt et hilaritate animique praesentia gaudent.

2.) A Roye me contuli ad Pont, quod castellum est, ubi pons superstructus est uni e quatuor illis brachiis, in quae dividitur fluvius Sequana. — — — —

3.) A Pont perveni ad Silvanectum [Senlis] et inde Parisios, ubi habitabam in hospitio Hotel d'Hamburg dicto.

4.) Visi urbem citra Sequanam vel Faubourg St. Germain, fui in Notre Dame, jardin de Luxembourg, et in theatris. Voluptas vel potius sensualitas ad summum, quo pervenire potest gradum, Parisiis perducta esse videtur.

5.) Fui in regiis palatiis Tuilleries et Louvre, ubi

statuas magnorum virorum praeter alia praeclara et magnifica suspexi. Fui in Hotel royal des Invalides, quod palatium miraculosae architecturae est, cujus templum admirandae pulchritudinis. In via huc multa quoque conspicere licet magnifica palatia.

6.) Concepi ingressum ad transactionem: „quod anima sapientiae sit agnitio et cognitio Numinis."

7.) Fui in Palais Royal, ubi vidi tabernas cum institorias tum librarias, et in Hotel de Ville; concepi quoque transactionem: „quod tempus sit ut ab effectibus exploremus naturam."

8.) Fui in Larmes de Chaud, parvo templo ad Jardin de Luxembourg, in omnibus tabernis librariis ad Sequanam, quae non magni pretii sunt, in notre Dame et nosocomio illius, ubi multi lecti sunt. Conspexi etiam L'entrée pour [les] enfans trouvés, vidi etiam La Reine d'Espagne.

9.) Fui in templis notre Dame, St. Pauli et aliis.

10. et 11.) Laboravi in lineamentis Operis mei: „de anni genere." Fui quoque apud Legatum Gedike.

12.) Fui à la rue de St. Paul, à la place royale de Louis XIII., ubi statua illius cernitur et à l'isle notre Dame.

13.) Fui à la Comédie des Italiens et in aliis urbis locis atque in tabernis librariis.

14.) Fui à l'Opera, quae magnifica est, à la Chambre des imprimeurs et libraires, et à la Comédie.

15. et 16.) Adveniens quidam dux militum nomine ..... in eodem, quo versabar, hospitio pernoctabat.

18.) Fui in Palais ejusque horto, à la place de Louis le grand, in templis Franciscanorum et Cisterciensium et à la Comédie des Italiens. Disputavi cum Abbate quodam de adoratione Sanctorum, qui plane negabat adorationem, contendens, cultum de latrie soli Deo competere, venerationem vel latrie Sanctis et duplicem venerationem Virgini Mariae.

19.) Fui à la St. Chapelle, ubi coloratae fenestrae variegatam admittebant lucem ad conspiciendam la souscription des S^{tes} reliques de notre redemption.

20.) Fui à la place de la Victoire, ubi eminet statua Ludovici XIV[ti] inaurata, stylobatae impostita et quatuor statuis circumdata. Fui deinde in St. Eustache.

25.) Ambulationem institui in urbe et spatium milliarii circiter suecani confeci per Luxembourg à la rue d'enfer, à l'observatoire, à la porte de St. Jaques praeter monasterium Franciscanorum et la rue de St. Jaques, à la porte de St. Martin, per quam ingressi sumus, cum Parisios advenimus. Vallum secuti sumus, unde prospeximus l'Hopital de Louis, ubi sunt decem millia lectorum aegris parata, si pestis ingrueret. Inde adii la rue de Temple, ubi vidi rudera antiqui templi atque capelli. In reditu vidi l'eglise de St. Jaques, unde me domum contuli.

28.) Fui à l'Opera, ubi agebatur l'Europe galante, elegantissima quidem scenae repraesentatio. Inter artis saltatoriae peritos excelluere Malter et Desmoulins, inter saltatrices Breton et Mariette.

30.) Fui apud argentarios meos Tourlon d'Heure et David, ille habitat à la place de la victoire, hic à la rue St. honoré et ornamentis muliebribus ac vasis porcellanis negotiatur.

2. Octob.) Mutavi mansionem me conferens à la rue d'Observatoire vis à vis des Cordeliers.

3.) Fui à l'Eglise des Cordeliers et à leur Couvent, quod magnificum palatium est.

4.) Fui aux Tuilleries et aux avenues des Tuilleries usque ad parvum quendam vicum, ubi duo sunt monasteria. Ulterius conspicitur Palais de Madrid, quod vetustum est. Ultra flumen cernitur Hotel de la Duchesse, quod magnificum est. Jucundissima fuit ambulatio, in qua meditabar de partium formis in atmosphaeris.

10.) Compertum est, tributum illud magnum, quod dixième appellatur, quotannis conficere summam 32,000,000 [Livres] vel in nostra moneta centum et nonaginta duo millia thalerorum, et Parisios locationibus suis duo tertiaria hujus summae expendere. In remotissimis regni provinciis hic census minus rite solvi solet, quoniam minor, quam re vera est, usura indicatur. Penes ordinem

ecclesiasticum quinta pars regni possessionum est. Si haec rerum conditio diu perseveraret, imperii ruina acceleratur.

12.) Emi Description de Paris, in qua commemoratur, magnam illam bibliothecam, quae nunc collocata est à la rue de Richelieu ad Palais royal, huc transportatam esse a mansione, quam antea habuit, à la rue de Vienne, eam continere septuaginta millia voluminum et quindecim millia manuscriptorum, partim emtorum partim testamentis datorum, ejus primum fundamentum a Francisco I. jactum esse, cum Bibliothecam, quae nunc maxima ex parte dissipata est, in Fonte bellaqueo (Fontainebleau) colligeret. Catharina de Medicis hanc bibliothecam numis memorialibus et tabulis locupletavit. Huc quoque picturas et alias res singulares ab omnibus fere Europae regnis, ad quae pictoriae artis gnaros emisit, immenso sumtu conquisivit Ludovicus XIV. Principalis Bibliothecae inspectio commissa est Abbati Bignon, qui etiam praeest Museo numismatico Versaliis quique duos amanuenses habet, quorum Le Beze, homo quidem singularis, librorum curam gerit et de Croix picturas et tabulas administrat. Bibliotheca Mr. de Brène in separato conclavi est.

16.) Fui in Palais royal, ubi palatium magnificum a Cardinali Richelieu aedificatum est, et tum Palais de Richelieu ac deinde Palais du Cardinal nuncupatum; testamento donatum est regi in perpetuum. Mater Ludovici XIII. prima illud accepit, unde Palais royal dictum est. Ibi fuit salutatorium vel atrium admissionum, cum Duc d'Orleans sceptra teneret. Hic sunt tabulae et picturae excellentes atque laboratorium chemicum, quod a magno horto per parvum, in quo aurantiarium est, disjungitur. Hic celebrantur choreae tempore illo ante jejunium Carneval dicto.

17.) Fui in ampla et magnifica Bibliothecae domo, quae alias non ante mensem Octob. aperitur. Fui à l'Opera du Palais royal, ubi pulcherrimae agebantur fabulae. Optimi saltatores sunt Malter et Desmoulins. Inter foeminas laudantur Mad. Breton et Mad. Mariette, inter

actores Fribaud et Fel, inter cantores Pellecier, Antier aliique.

Fui quoque in Sorbonne, theologicas disputationes exauditurus, quae satis commode habebantur et syllogismis plerumque componebantur. Opponentium quisque gessit pallium, panno supposito instructum. Sorbonne est domus magnifica, a quodam nomine Sorbon ad Gymnasium anno 1260 donata, qui eam sibi permutatione a Ludovico Sancto paraverat. A Richelieu haec domus renovata est. In templo illius sepulcrum cernitur. Sex professores quotidie hic lectiones habent. Bibliotheca quoque pretiosa hic est.

25.) Fui in monasterio St. Victor prope jardin du Roi; amplum est et antiquae architecturae, habet magnum et pulchrum hortum, sed templum exiguum. Monasterium aedificatum est 1115. Abbatiae annuus reditus 35000 Livres. Monachi sunt Augustini, et Abbas vir magnae laudis, qui praeclaram habet bibliothecam cum tribus millibus manuscriptorum, quae tribus hebdomadis diebus, lunae nimirum, Mercurii et Saturni aperitur.

Jardin royal ou du Roi non procul abest, spatiosus est et multis exteris plantis ad numerum 4000 superbit. In illo altus est locus, unde magnam urbis partem conspicere licet. Tempore Henrici Magni hic hortus plantari coeptus. Archiater quidam primarius ei praefectus est. Hic publicae praelectiones cum botanicae tum chemicae et anatomicae singulis hebdomadibus habentur. Ad introitum superne conclavia sunt, ibi quoque est Museum Cl. P. Tournefort atque multae res rarae ac singulares, inter quas herbarium 6000 plantarum. Prope cernitur tabulatum lignis reponendis.

Ad hortum est L'hopital de pitié, quod vetustum; in eo pueri et puellae labori variisque operibus adsuefiunt, usque dum famulari possunt aut matrimonia ineunt aut in Colonias emittuntur, ...

Ad viam huc jacet St. Geneviève, Monasterium, quarto vel quinto saeculo exstructum, Augustinis Monachis patet. Abbatia dat 70,000 livres par an. Abbas magnam habet

potentiam. Cum sollennis pompa St. Genovevae peragitur, Abbas indutus est en mitre de Croix, facit benedictionem in plateis, auctoritate ipsi Archiepiscopo Parisiensi non cedit. Ei est pulcher hortus et praeclara bibliotheca. In adyto ad altare cernitur St. Genoveva, splendide vestita, cujus festum quoque magnificum est. In templo Rochefort et Cartesius sepulti sunt.

30.) Fui à l'Eglise des St. Theatins ad Pont Royal et à l'Eglise des Augustins ad Tuilleries, ubi Guillaume, prédicateur du Roi, concionabatur more histrionis in scena, imo longe artificiosius.

Novembris 3.) Fui au Palais, ubi comitia regni habentur, quae hoc ipso tempore incipiebantur. In magno atrio, ubi altare cum pulcherrima tabula, concio habebatur. Multae candelae accensae erant et suavissimus concentus audiebatur. Domini palliis purpureis amicti. Episcopus pontificalibus sacris praeerat.

Fui à la St. chapelle, quae a Ludovico Sancto anno 1245 aedificata, nunc aperta fuit. Ibi cernebantur duae tabulae altaris, encausto pictae, quarum una Christum, cruci affixum, altera resurrectionem Illius repraesentabat, circum eas plures minores tabulae fuere, omnes magni pretii. Inter reliquias monstrabantur frusta e cruce, aculei e corona spinea, lancea, spongia et alia, magno pretio emta et a Constantinopoli huc transportata.

---

1 7 3 7.

1737. Januarii 1.) Fui in St. Geneviève, cujus Coelicola Parisiorum patrona est. Anterius in templo cista illius, in eminenti altari collocata et adamantibus ac candelabris circumdata, monstrabatur.

In Gallia sunt quatuor Conseils, in quibus Rex praesidet: 1) Conseil d'état, 2) Conseil des depêches, 3) Conseil des finances, 4) Conseil de commerce.

In Conseil d'état sunt 1) Rex, 2) Duc d'Orleans 1er Prince de sang, 3) Cardinal Fleury, 4) Garde des Sceaux, 5) Maréchal duc d'Estrées, 6) Mr. Anguilliers, secrétaire d'état, 7) Mr. Orry, conseiller d'état et controleur des finances. Garde des Sceaux habet sibi demandata negotia cum omnibus exteris Legatis, literas ac donationes. Comte de Maurepas, secrétaire d'état, in expeditione sua curam gerit rerum regni cum externarum tum internarum latissimam excepta re militari. Comte de [S.] Florentin, secrétaire d'état, rebus ecclesiasticis praeest. Mr. Anguilliers, secrétaire d'état, rem militarem administrat. Duc de Charot est Chef du Conseil. Mr. Orry est Conseiller d'état, et à Conseil Royal, Controleur des Finances. Ei mercatura et alia regni opera commissa sunt. Lamoignon de Cuisson etiam est Conseiller d'état.

In Gallia sunt 14,777 Couvents, circiter 3 à 400,000 religieux, qui possident 9000 palais et maisons, 1356 abbayes, 567 abbatissae, 13,000 prieuses, 15,000 chapelains, 140,000 paroisses ou cures, 18 Archiepiscopi, 112 Episcopi, 776 Abbés et 250 Abbatissae, quae a Rege nominantur, 16 Chefs d'Ordres. Monachorum hi sunt primarii: Jacobins, Augustins, Cordeliers, Carmes, Chartreux, Bernardins, Benedictins, Jésuites, Minimes, Célestins.

Archiepiscopi sunt in his provinciis: 1) Parisiis Mr. de Louis, 2) Lyon, 3) Rouen: Mr. Tavannes, 4) Sens, 5) Rheims: Mr. Rohem, 6) Tours, 7) Bourges, 8) Alby, 9) Bourdeaux, 10) Auch: Cardinal Polignac, 11) Narbonne, 12) Toulouse, 13) Arles, 14) Aix, 15) Vienne, 16) Embrun, 17) Besançon, 18) Cambray.

Regia Galliae familia: Rex Louis XV., natus 1710, Marie, Regina, nata 1703, Dauphin, natus 1729, 6 Madames de France etc.

Januarii 23. 24.) Fui in St. Denis et vidi regum sepulchra et magnum, qui heic reconditur, thesaurum. Ad regem quod attinet, sequitur 1) Stanislaus Lesczinsky, Rex Poloniae, natus 1677, 2) Catharina Opalinsky, regina illius, nata 1683, 3) in Gallia est Reine d'Espagne, nata 1669, 4) alia nata 1704, fille du Duc d'Orleans. In Hi-

spania est: 1) Philippus Rex, natus 1683, 2) Elisabeth Farnese, nata 1692, 3) Ferdinand, prince d'Asturie, natus 1713, 4) Marie, soror illius, regina Lusitaniae, 5) Don Philip, natus 1729, 6) Alius Don Louis Cardinal et Archevêque de Toledo, et duae Virgines Principes, Marie Thérèse et Marie Antoinette, praeter Don Carlos.

In St. Denis multae res rarae ac singulares monstrabantur: 1) horologium, quod Christi passionem et alia successive repraesentabat. 2) Templum antiquae architecturae fuit et a Dagobert ad fastigium perductum. Fenestrae, coloribus et signis ornatae, attentionem spectatorum moverunt. Sacraria ditissima esse ferebantur. Crux fuit e puro ac solido auro, transennae pulchrae et portae metallicae. In via ad St. Denis exstructae erant pyramides in recordationem Philippi, filii Ludovici Sancti, qui anno 1271 ossa Patris portavit. 3) Primus ibi sepultus esse perhibetur Dagobert, filius Childerici. St. Louis nonnulla epitaphia super antecessores suos erigenda curavit. 4) Sepulcrum Caroli VIII. est e nigro marmore et aere corinthio, 5) Ludovici XII. pulcherrimae architecturae est, 6) Ludovici XIV. adhuc tectum est, neque ante obitum successoris aperitur. 7) Praeter reges ibi sepulti sunt Vicomte de Turenne, cujus epitaphium pulcherrimum est, Arnaud Guillaume, Bertram, qui praeclari et amati viri fuerunt. 8) Sepulcra nonnihil bellis civilibus laesa et mutilata sunt. 9) L'empereur à cheval solus est, quem hic sepultum scimus; est in amictu imperatorio. Dans le Trésor et l'Armoire multa sunt attentione dignissima, lapides nobiles, gemmae, adamantes, coronae auri solidi, effigies Christi cruci affixi, hierothecae, quarum in una maximus, quem equidem viderim, adamas fulget, inauguralis regis corona, reliquiae, crux e pulcherrimo marmore porphyretico, huc a Dagobert e Poitiers transportata.

In Anglia sunt: 1) George II., natus 1683, 2) Wilhelmine Charlotte de Brandenbourg d'Ansbach, nata 1683, 3) Frédéric Louis, Prince de Wales, n. 1707, 4) Auguste de Saxe-Gotha, n. 1721, 5) Guillaume Auguste d'Angleterre, duc de Cumberland, 6) Anne, épouse du Prince

d'Orange, 7) Emilie, Caroline, Marie, Louise, regiae virgines, 8) Jacques II. Romae 1688, 9) Duo illius filii.

Provinciae Galliae sunt: Angoumois, Anjou, Auvergne, Berry, Blaisois, Bourgogne, Bretagne, Bourdeaux, Champagne, Chartrain, Franche Comté, Isle de France, Languedoc, la Manche, Limosin, Lorraine, de Doubs, Béarn, Maine, Navarre, Nivernois, Normandie, Orléanois, Flandre, Brabant, Artois, Perigord, Picardie, Poitou, Provence, Roussillon, Touraine, [etc.]

1737. d. 30. Julii profectus sum ad Poissy et vidi les eaux de Poissy, quae sunt duae satis profunde in terra veluti in cella. In utraque sunt duae venae vel conjunctim quatuor; aquae sunt vitriolicae, ut apud nos. Ferrum inde ita extrahi solet, ut aqua longis testis argillaceis infundatur, quae lapide fossili occluduntur et per integrum mensem conservantur, quo tempore omnis ochra ad fundum praecipitatur; aqua, tum dulcis, excolatur et in lagenas funditur.

Me quoque contuli ad Calvaire, in alto monte situm; ibi sunt septem sacella cum picturis admodum pulchris, quae omnem Christi passionem adumbrant. In templo est Christi sepulchrum ejusdem formae, qua gaudet in monte Calvarii. Praeterea hic amplus est hortus, unde multa oppida et omnis circumjacens regio longe lateque conspicitur.

1738.

1738 d. 12 Martii. Primo mane et quidem hora tertia profectus sum Parisiis in vehiculo, quod Diligence appellant. Praetervectus plures Villages, perveni d. 15 Catalaunum; inde in cymba tractoria, quae hic diligence par eau nominatur, iter continuavi ad Macon et tandem ad vetus illud Lugdunum. Praeterivi plures Châteaux et unum palatium, quod est Comitis de Clermont, ubi opti-

mum praeparatur vinum. Le vin de Macon bonum quoque est. La Diligence par eau navigat flumen Rhodanum, quod in Alpibus scaturiens, perfluit Lugdunum. Haec urbs satis magna est, habetque multas pulchras domos et magnifica palatia praesertim ad place royale, ubi duo palatia hominum privatorum eminent. Hic quoque cernitur statua Ludovici XIV. ex aere corinthio fusa et equo imposita cum machinis hydraulicis in lateribus. Urbs floret officinis et opificiis. Hic fabricantur fimbriae aureae, limbi argentei, merces sericae, omne genus operum reticulatorum, drap d'or, drap d'argent, magna copia fili aurei, cujus rudis et indigesta massa pro 7/8 pretii ad laboratum et ductile opus venditur, 3 à 400,000 librae argenti, quod per Gènes ad Lugdunum transportatur, hic quotannis ad filum aureum fabricandum consumuntur. Archiepiscopus est Primas Cleri Gallici et habet ut Papa jurisdictionem suam. Villeroi est praefectus urbis, cujus provincia hereditaria est. Jesuitae habent hic monasterium et pulchram bibliothecam, quam vidi. Quatuor vel quinque dies Lugduni commoratus sum.

D. 22. Martii.) Profecti sumus a Lugduno versus Augustam Taurinorum super Alpes et altum montem, Mont Cenis, ubi transitus molestissimus et cum vitae periculo conjunctus. Nam proxima nocte tanta nivis copia ceciderat, ut muli in nive veluti natarent nosque pedibus ire cogeremur. Forte contigit, ut non solus iter carperem, sed in societate 50 ad 60 hominum, inter quos sex monachi discalceati, qui viam sternebant. Pernoctabamus in deversorio grande Croix, quod in monte situm. Les relais ou stationes, quas praeterivimus, sunt Bron, St. Laurent, Verpelier, Bourgoin, La Tour du Pin et Camberium, quod pulchrum oppidum est. Hinc per stationes Montmeillan, Aiguebelle, La Chambre, St. Jean de Morienne et quae reliquae sunt properavimus super montem Cenis et inde per Susam, St. Antonino, Rivoli, ubi palatium aut chateau royal est, ad Augustam Taurinorum, quo advenimus d. 30 Martii.

31. Martii.) Urbs conspiciebatur; taurus metalli-

cus, ad naturalem magnitudinem factus et in fastigio collocatus, Augustam Taurinorum repraesentat. Ante urbem est magnum et famosum monasterium. Vidi palatium regium. Est quoque ante urbem ambulacrum, umbrosis opacatum ramis, cujus longitudo 3 lieues françois. Cernitur etiam umbraculum hortense in alto monte. Augustae Taurinorum vidi 1) Regem, qui non nisi 37½ annos natus est, quamvis facies quinquaginta annos indicat; ceterum observavi 2) domos urbis esse magnificas, quoniam decem vel duodecim aedificia quasi in unum coaluerunt, unde magnificentia elucet, 3) omnes, qui praedia possident, vocari comites, etiam mercatores, 4) plateas carere nominibus, sed angulos de nominibus Sanctorum, quibus notati sunt, nuncupari, 5) domos non numerari sed Sanctorum quoque appellationes ferre, 6) magnificentiae indicium esse, si quem pone sequatur sella quaedam portatoria [portchaise], 7) palatium Ducis de Concqua amplum ac magnificum esse, 8) monasterium fratrum discalceatorum magnum quoque esse et templum pulcherrimum, quod umquam viderim. In monasterio tantum 25 homines versantur, sed capax est centum, imo ducentorum. Franciscani extra urbem habitant. L'eglise du Couvent prope Aulam magnifica sed parva aedes est. Conclavia aulae splendida sunt et vario genere supellectilium, auro, argento, speculis ac tabulis, quarum quatuor ab Albano pictae, quae quatuor elementa repraesentant, abundant et fulgent. Sunt quoque 48 minores imagines, nuper a Roma pretio 18,000 fl. emtae, in quibus Lutherus et ejus uxor. Lutherus et Calvinus ibi sunt, ille unoculus. Tecta quoque magnifice picta et laqueata sunt.

D. 4. Apr., vel quinto hebdomadae ante pascham die postmeridiano tempore contemplatus sum magnificas eorum processiones, quarum novem hic numeravi, et alibi nonnumquam 20 ad 30 cum multis magnisque candelis cereis. Nonnulli flagellabant se, ut sanguis copiose manaret, alii gestabant cruces admodum longas, alii palmas in coelum tendebant, alii insignia crucificationis portabant.

Eodem die Rex et Regina in urbe circumibant. Die mortis Christi vespertino tempore etiam magna processio est cum multis candelis et machina, in qua jacet imago Christi, fasciis involuta, caput Johannis Baptistae et Maria. Omnes personati erant et tristi vultu, in candidis, rubris, nigris et caeruleis vestimentis. Die festi paschalis fui à la Chapelle Royale et audivi suavem musicen, cantu Eunuchi modulatam. Vidi Regem et Reginam.

Die 7. Apr.) Profectus sum Augusta Taurinorum per Chivasso, Vercellas et Novaram ad Mediolanum. Novarae me deseruit Vetturino, cum solus esse cogerer. Dein profectus sum cum alio minus fido Vetturino, qui saepe nudavit sicam, a qua mihi cavebam, ei persuadens, me ne obolum quidem in crumena habere. Provinciae Novara et Tortona in potestate Regis Sardiniae sunt.

D. 9. Apr.) Perveni Mediolanum, in magnam ac populosam urbem. Fui 1) in templo, quod 200 ulnas ad adytum longum est et proportionaliter altum, habet quatuor columnarum marmorearum series, multas statuas et ornamenta marmorea, continuatur quotannis nec fere umquam consummatur. Inter statuas marmoreas in templo palmaria est St. Bartholomaei, cujus omnes musculi in propatulo sunt, quamvis mihi saltem non aptissime formati videntur. Multae stant lampades argenteae, quarum flamma numquam exstinguitur. Sub adyto multi Sancti sepulti sunt, inter quos St. Charles, archiepiscopus, cujus miracula repraesentantur. 2) Fui in magno Nosocomio, quod maximum et pulcherrimum est. Imagines omnium, qui dona huic Institutioni contulerunt, in atrio, ab artificibus pictae et parietibus affixae, pendent. Aegrotis optime inservitur; singulis singuli lectus cum viris tum foeminis. Vulnerati in atriis sanantur. Solitae heic insidiae et caedes furtivae frequentes. Visi culearia, cellas et balnea, quae magnifica sunt. 3) Minus nosocomium honoratioribus patet, quibus inserviunt les pères du Couvent. 4) Vidi palatium, ubi habitat archiepiscopus, qui nuper purpuratus seu cardinalis electus est nomine Stampa. 5) Palatium, ubi habitat praefectus, magnum quoque est,

nec longe distat. 6) Odeum est magnum, aedificium quinque tabulatorum, in quo 1500 ad 2000 homines excipi possunt; theatrum praeclarum quidem videtur nec tamen adeo excellens ac praedicatur. Coenobia visi celeberrima. Coenobium Ambrosii magnificum est et tabulis ornatum. Pictura quaedam in superiori porticu, Chef d'oeuvre appellata, tam artificiose colorata et quasi viva est, ut 12 vel 15 passus inde stantibus res ac personae tabulae non parieti affixae sed libere in porticu se moventes videantur. In horto monstrabatur ficus, sub qua Augustinus conversus esse dicitur, quaeque adeo circa 1400 annos viruit. Cuivis hero suus est servus vel valet de chambre, omnes enim nobili genere nati. 8) Aliud coenobium St. Victor vel Benedictinorum, superiori non cedit. Illius hospitio usus est Duc de Noailles. Habet magnum hortum et templum, cujus fastigium pulchre pictum et laqueatum est nec dissimile Tholo templi St. Petri Romae. 9) Vidi inquisitionis domum et templum. 10) Fui deinde au Couvent major des filles et au Parloir, ubi cum monastriis collocutus sum et vidi illarum processiones. 11) Vidi castellum e duobus lateribus, unde obsessum fuit. 12) Vidi Bibliothecam, manuscripta, libros monachicos vetustos atque magnum atrium, ubi statuae et picturae insignes fuerant. 13) Fui au couvent de l'Ordre de François. Monachorum numerus, qui ut Capucini vestiti erant, 150 fuit. Est maximum Mediolani monasterium, ubi chilias militum hospitio usa est. Hic Capitulum olim fuisse dicitur, quod nunc Romam transportatum est. 14) Fui deinde in pluribus templis et monasteriis eorumque vidi picturas; 15) in templo Bernhardinorum, quod picturis et ornamentis cum tecti tum parietum magnificentissimum est. 16) Vidi sepulchretum Nosocomii, nuper a privato homine paratum. In uno urbis latere est porticus, columnis sustentata. 17) Vidi sepulturam Canonicae cujusdam, quae a tota confrérie ad templum ferebatur, quod extrinsecus etiam magnifice ornatum fuit. Ipsa mortua, candido linteo cum aurea fimbria induta, manu tenebat

crucem nudaque erat capite. Circum sarcophagum thura accensa erant cereaeque candelae; preces fundebantur canebanturque hymni. In medio templo exstructum fuit Mausoleum, satis altum et ornatum, quatuor tabulatorum. Hic mortua deponebatur, altero die celebrabatur la grande messe. 18) In templo Bernhardinorum erant altaria e marmore, suggestum et sellae confessionis e lapide eleganti. 19) Nobiles foeminae habebant unum vel duos servos, qui praeibant, unum qui comes ibat et duos qui pone sequebantur; ne oculos quidem in illas conjicere licet. 20) Viri, sex capras ducentes, vendunt lac caprinum, recens mulctum. 21) Fui in multis couvents des Religieuses earumque templis et hortis atque à l'eglise d'Alsach aut des Chanoines, ubi cernuntur imago Virginis Mariae marmorea cum quatuor argenteis columnis, multum argentum, adamantes, 25 magnae lampades argenteae, magna candelabra, in adyto columnae jaspideae, picturae multae et lapides pulcherrimi.

D. 13. Apr.) Profectus sum Mediolano una cum 5 monachis Carmelitis, qui hoc iter suscipiebant, ut Venetias ante viserent, quam ad Capitulum Romae accederent. Viam a Mediolano ad Patavium 5½ diebus emetiebamur. Iter fecimus citra Bergamum, unde habilissimi Arlequins venire dicuntur. Bresciam, quae pulchra est urbs mercatoria cum nonnullis pulchris palatiis, et Peschieram transivimus, unde Veronam, in spatiosam ac magnam urbem, advenimus. Fui in nonnullis templis. Dein vidi magnum Amphitheatrum ab Augusto exstructum, quod 50 ad 60,000 hominum capax est et habet 70 portas totidemque aperturas supra cum fornicibus et infra cum cameris, in quibus bestiae et servi tenebantur. Ambitus hujus aedificii 600 ulnas continet. Huic finitima est pervetusta aedicula, a Scipione Africano exstructa et a viro quodam ejusdem familiae restaurata. In conclavibus sub amphitheatro sunt tabernae. Fui deinde à l'Opera, cujus theatrum nunc renovatum est habetque 140 podia et changements du theatre cum decoraminibus, quae magnifica palatia et pulcherrimos prospectus repraesentant. Ratione habita

cantus et saltus haec scena excellentissima est et Gallicae longe anteferenda, quae cum hac comparata nugatoria et ludicra videtur.

Contuli me postea Vicentiam, ubi in pluribus fui templis, quorum praesertim recentiora picturis, statuis marmoreis, opere tessellato totâque architectura excellunt et eminent. Templum Cathedrale fuit magnificum. Huc concilium Tridentinum delatum fuisset, si pestis diutius perseverasset. Vidi theatrum more antiquorum exstructum cum amphitheatro spectatoribus. Hinc veni Patavium, quae urbs magna est cum antiquis nec satis conspicuis palatiis et Academia. Quod maxime admiratus, templum fuit St. Justinae, cui simile aut secundum nihil vidi. Totum pavimentum fuit e marmore candido, rubro ac nigro stratum. In eo viginti altaria lithostrota et cuivis marmoreae statuae et columnae varii generis. Numeravi praeterea 80 ad 90 magnas marmoreas statuas multasque parvas. Monasterium etiam magnum est. Deinde fui in templo Antonii, ubi etiam fuere pulchrae picturae et statuae marmoreae; sacellum illius inprimis magnificum est. Hic pendent 80 ad 90 magnae lampades argenteae magnaque stant candelabra argentea et unum puri auri cum multis tabulis, quae miracula repraesentant. Hotel de Ville et aliae domus publicae sunt stili antiqui. D. 18. Apr. vespertino tempore Patavio Venetias profectus sum.

D. 19. April.) Veni Venetias. Fui in duobus magnis palatiis, ubi habetur concilium, in templo St. Mariae, in templo Jesuitarum, quod recentioris architecturae est, in Madonna de salute, in templo Capucinorum etc.

D. 20. Apr.) Vidi sollennem introitum Legati cujusdam novi Veneti. Plurimi erant personati. In templo Capucinorum extra urbem accipiebatur a 40 ad 50 Senatoribus, palliis purpureis indutis, et a priori legato. Festum tormentorum ictibus, illuminatione et choreis celebrabatur.

1738. d. 9. Aug.) Cum opus meum consummassem, denuo profectus sum Patavium et inde Vicentiam et Ve-

ronam. Vidi iterum magnum Amphitheatrum, ubi adhuc comoediae agebantur, theatrum, odeum cum multis antiquitatibus. Odeo novem sunt exitus et 32 conclavia.

D. 14. Aug.) Veni Mantuam, quae nec populosa est nec habet multa visu et notatu digna. Castellum etiam natura munitum est nempe palude 1200 passus lata, super quam 2 vel 3 lapidei pontes; ex una parte aqua altior erat quam ex altera.

D. 21. Aug.) profectus sum Ferraram cum quodam Bark. Ferrara pontificalis urbs est; plateae pulchrae et latae; templum cathedrale quoque pulchrum. In St. Maria del Vado sunt admodum venustae picturae, caetera templa erant mediocria. Postea fui in palatio liberi Baronis Cerveles, quod magnificum est; conclavia speculis, picturis et vasis argenteis ornata. Ferrarae Papa habet Cardinalem.

D. 23. Aug.) Veni Bononiam. Fui in templo cathedrali, in monasterio et templo Dominicanorum, in quo sepulchrum St. Dominici et picturae ab optimis artificibus factae. In urbe multa pulchra palatia.

D. 24. Aug. incidit annuum festum. Primum arx quaedam simulato certamine oppugnata, deinde magna copia gallinarum, columbarum, anserum, gallorum Indicorum et (a Cardinali Spinola atque duobus aliis) pavonum, tum nummi et denique ipsa crumena inter plebem conjecta sunt. In museo omnia optime instituta et perfectissimi apparatus omnium fere artium et disciplinarum, ut sculpturae, picturae, Chemiae, Physicae, Anatomiae etc. In urbe sunt duo Cardinales et 50 praefecti [Gouverneurs] qui pro duobus mensibus sorte eliguntur. Vidi lapidem Bononiensem, qui duo milliaria ab urbe in monte quodam capitur. Fui extra urbem in antiquo monasterio Benedictinorum, quod magnum et pretiosum est.

28. Aug.) Perveni via montana Florentiam, quae inter pulcherrimas urbes jure habetur, ubi cernere licet pulchra palatia, magnifica picturae et sculpturae artificia aliasque res singulares. Templum metro-

politanum extrinsecus marmoreum est et aedificatum pretio 18 millionum, vocatur Maria del Fiore. Prope est St. Giovanni, ubi sculpturae marmoreae, picturae et statuae ex aere Corinthio, quemadmodum in St. Spirito, St. Felice et alibi. Porticus [gallerie] pulcherrima est, quam in tota Europa viderim, picturis, lapidibus nobilibus ac pretiosis et operibus vermiculatis, quae vix describi possunt, ornatissima. In sacello, ubi Duces sepeliuntur et quod nondum absolutum est, praeclara artificia, lapides varii generis et Mausolea fuerunt. In Palazzo de' Pitti erant pulcherrimae picturae ab optimis artificibus, et infra lapis magnus 2 ulnas longus, aeque latus et 1½ ulnas altus. In horto erant multae pulchrae statuae. . . . . In monasterio, St. Marci, erant lapides pretiosi, opera tessellata et encausta atque officina Chemica. Bibliotheca St. Lorenzo modo antiquos libros continebat. Libraria del Magliabecchi erat magna et alphabetico ordine disposita. Armamentarium non magnum fuit.

D. 31. Aug.) Fuimus extra urbem in Villa Imperiali, ubi ambulacrum, cyparissis opacatum, porticus magnifica, optimorum artificum picturis instructa, opera vermiculata, statuae, quarum inprimis graecae mirifica pulchritudine excelluere, une ménagerie, antrum et machina hydraulica. Fui in magnifico monasterio St. Spirito. Deinde ambulavimus in luco illo amoeno extra urbem. Vesperâ plateae erant illuminatae et pulcher atque artificiosus ignis ardebat in vertice templi, etiam illuminati.

D. 1. Septemb.) Profectus sum Liburnum, quod pulchre situm et montibus circumvallatum est. Urbs non spatiosa sed populosa et satis venusta cum optimo portu, mille, et quae excurrunt, navium capaci, a tribus partibus muris, aggeribus ac citadelles, atque a quarta scopulis circumcincta et bene munita. Vidi tres pulchras naves actuarias (Galères), in quibus ad remos damnati malefactores sedebant bini atque bini compedibus vincti.

5. Sept.) Veni Pisam, ubi est Academia. Fluvius Arno hanc pulchram urbem perfluit. Hic marmor copiose effoditur, unde sacella, templa et domus aedificantur.

Basilica extrinsecus tota est marmorea, picturis aliisque ornamentis plenissima. Templum St. Johannis etiam marmoreum cum intus tum extra cum marmoreo campanali, paululum caduco, et septem ordinibus columnarum. Non procul inde est Campo santo, ubi multa sepulchra, sanctorum ossa, magna copia urnarum bacchanalium etc.

6. Sept.) Iterum Florentiam vidi. Fui in Sancta Cruce, ubi est pulchrum sacellum pulchraeque picturae: Galilaeus Galilei et Michael Angelo ibi sunt sepulti eorumque statuae marmoreae erectae.

7. Sept.) Vidi ceremonias cum 7 monachae inaugurarentur, quae a capite ad calcem candidis vestimentis indutae erant. Archiepiscopus sanctum officium peregit et quinquies mitras mutavit. Ipse quaestiones proposuit, quibus illae inter canendum respondebant. Deinde accipiebant annulos, coronas et alia atque tandem Sanctam Coenam. Denique exibant sollenni pompa, capite gestantes coronas et stipatae magno virginum agmine in morem nuptialem vestitarum. Undique suavissima exaudiebatur symphonia.

9. Sept.) Fui in Palazzo Richardi, maximo privati hominis palatio Florentiae, ubi multae res antiquae, rarae et pretiosae. Fui etiam in horto Richardi, ubi aurantiarium. Ter vidi Monacharum inaugurationes in monasteriis. Templum St. Johannis prope Basilicam quondam fuit templum Martis. Portae illius ex aere Corinthio tam artificiose fabricatae sunt, ut Michael Angelo affirmasse perhibeatur, has portas paradiso praepositas fuisse.

21. Sept.) Profectus sum Florentia Senam (Siena) et inde Romam. Senae loquuntur optime Italice. Transivi etiam Viterbium, parvam et pulchram urbem, in qua duae magnificae hydraulae. Romae et in regionibus inferioribus circum illam laborant peregrini pestifera atmosphaera, adeo ut aegre noctibus heic dormiant per menses Julii, Augusti et Septembris. Sed in superioribus locis est sanus aër. Hac tempestate etiam non sine periculo mutantur domicilia.

D. 25. Sept.) Romam perveni vespertino tempore

per viam Flaminiam et portam del popolo ad Piazza del Spagne. Primum hospitabar à 3 Re, deinde ad ipsum forum arcte infra ubi Regina Sueciae Christina supra in monte habitaverat, ita ut a conclavi meo cum illis colloqui possem, qui in pristina reginae domo versabantur. Primis diebus vidi obiter varia, nempe domicilium Papae aestivum in monte Cavallo, plura fora, columnas, obeliscos, templa, Vaticanum et Templum St. Petri, de quo plura infra.

Ponte del Angelo vel Pons Aelius est primarius Romae pons, ultra illum jacet Castello del Angelo et Vaticanus cum templo St. Petri. Hic pons aedificatus est ab Aelio Hadriano, et reparatus ligno, quod cum ferro et lapide commutari debebat. In jubilaeo anni 1450 hic 172 homines aquis mergebantur, cum a Vaticano venirent. Tum pons restitutus et e lapidibus factus cum quatuor arcubus. Est 70 passus longus et 10 ad 12 latus. Clemens VII. eum 1523 duobus statuis marmoreis Petri nempe et Pauli ornavit; Clemens IX. decem Angelos addidit, qui omnes passionem repraesentant et ab optimis artificibus facti sunt. Picturas fecit Barbini. Ab eodem ponte et a sinistro latere cernuntur 3 ad 4 rudera pontis triumphalis, super quem omnes vehebantur, qui triumphos agebant. A Romulo, qui primus, usque ad Probum, qui ultimus triumphavit, numerantur 322 triumphi.

D. 29. Sept.) Fui in Pantheo seu Rotunda, a M. Aggrippa, ut fertur, 14 annos post Christum natum in honorem Cybeles, Deorum matris, vel ut alii volunt, in honorem Jovis, Martis, Veneris aliorumque Deorum exstructo. Quod tamen antiquius esse videtur. Ab initio hic duae porticus fuisse perhibentur. Alteri Agrippa nomen insculpsisse creditur. Hic quoque Agrippa sepultus existimatur. Statua Herculis hic reposita dicitur, ubi Carthaginienses quotannis virum sacrificasse commemorantur. Regnante Hadriano templum fulminis ictu percussum et a Marco Aurelio et Septimio Severo redintegratum est. Anno 830 huc transportata sunt 28 plaustris ossa Martyrum, unde nomen ei Maria ad Martyres. Imago

Mariae hic a St. Luca facta perhibetur. Pantheon a Clemente XI. 1707 renovatum est. Ipsum fastigium ex aere factum et porticus aere tecta. Ipsi quoque tholi quondam aere circumdati, quod aes ad magnum altare templi St. Petri exstruendum adhibitum fuit. Templum est 154 pedes altum ejusque diameter aeque longus. Apertura sola in fastigio est, cujus diameter 12 passus. Haec tamen apertura plus lucis, quam si multae adessent fenestrae, immittebat. Nullibi in templo obscurum fuit, sed aequabiliter lux diffusa. Sonus emissus magnopere augebatur et venti flatus ad portas leniter spirabat. Sub apertura nonnihil humiditatis pluviali tempore sentiebatur. Hic sunt 15 altaria, 4 ad 5 pulchrae imagines marmoreae, 14 Columnae e flavo marmore totidemque etiam e flavo marmore in muro his correspondentes. Porticus admirabilis est, nititur 16 magnis columnis e granito plane integris et altioribus, quam viderim unquam, 6½ palmas in diametro. Mirari licet, quomodo huc transportari potuerint. Porta quoque maxima est, metallica et integra, habetque praecinctionem vel oram lapideam. Multae inscriptiones legendae in illa exstant. Murus est 30 palmas latus. Sepulchrum porphyreum hic fuisse commemoratur, quod tamen frustra quaesivi. Porticus est 20 passus longa et 12 lata.

Extra Pantheon patet Piazza della Rotunda. In hoc foro surgit Obeliscus, de templo Bartholomaei anno 1707 huc a Clemente XI. transportatus; circum eum collocati sunt Delphini aquam evomentes. Obeliscus, qui literis hieroglyphicis abundat, ab Aegypto vectus est. Agrippae balnea hic fuisse feruntur, quorum adhuc nonnulla rudera, quae tamen reperire non potui. Balnea magnifica, lapide pretioso auroque inclusa et vitro pavimentata fuisse perhibentur. Fui in templo Ignatii, quod pulchrum est et praeclaras picturas praesertim in tecto habet. Quod maxime admiratus sum, fuit altare cum tabula altaris et pulcherrimis, in utroque latere positis, statuis marmoreis. Sub altari erat cista pretiosa ex orientali lapide caerulei coloris, argento plena cum statuis atque columnis non

minus pretiosis. Ludovicus huic templo plurima dedit, in quo illius sepulchrum, opere sculptili et statuis insigne. Piazza del Ignazio, a Jesuitis exstructa, parva quidem est, sed praeclari stili et magnae elegantiae. Collegium Jesuitarum Romanum ingens et magnificum est; ibi informantur juvenes omnium nationum. Fui in Seminario Romano, quod non longe abest.

Fui deinde in templo Jesu, quod magnificum est et marmore, sculpturis, picturis, statuis apte collocatis abundans. Cuncta inspicere minus licuit, cum in templo suavissimus ederetur concentus. Extra templum jacet Piazza del Gesu.

D. 30. Sept.) Vidi magnum amphitheatrum, rudera multorum antiquorum templorum, ut Jovis, Solis, Lunae, Faustinae, carcerem St. Petri et Pauli, januam, per quam hic ab Angelo eductus dicitur, columnam lapideam, cui alligatus perhibetur, fontem hicce terra scaturientem et foramina, per quae cibus porrectus.

Vidi in mappa geographica 7 colles vel montes; juxta portam del popolo erant horti, deinde 1) Mons Quirinalis, 2) Viminalis, 3) Esquilinus, 4) Coelius, 5) Palatinus, 6) Capitolinus, 7) Aventinus.

D. 1. Octob.) Visi Capitolium vel Campidoglio, ubi duae sunt porticus. Antiquitus appellatum est mons Saturninus, nam Saturnus ibi habitasse credebatur, deinde mons Tarpejus a Tarpeja Virgine, quae hinc propter proditionem Sabinorum praecipitata est, et cujus rupes monstrabatur. A capite, quod sub templo Jani repertum est, Capitolinus nominabatur. Cum Romulus Urbem conderet, asylum fuit, deinde sedes Triumphorum, qui in templum Jovis tenderent. Hic 60 templa fuêre, unde appellatio, Deorum Cubiculum. Curia Calabra, a qua Sacerdotes festa et solennia exclamabant, creditur hic exstructa fuisse in sempiternam memoriam et vocalem veluti imaginem anserum, qui voce Romanos e somno excitabant, cum Galli montem adscenderent. Via antiqua ibat ad Campum Martium, ubi multa rudera exstant. Templum primogeniti Dei exstructum dicitur, ubi antea Jovis

templum fuit, quod olim, antequam igne vastaretur, columnis ornatissimum fuit. Franciscani huic templo nunc praesunt. Hic est primus lapis milliarensis formae quadrangularis cum inscriptione. Multaque alia spectatorum oculos sibi attrahunt, v. c. cineres Hadriani, 126 gradus ad oracula, duo leones ex Isidis et Serapidis templo, magni equi, Castor et Pollux, Marci Aurelii Philosophi statua ex aere Corinthio, Nilus et Tiberis cum fontana. Ad sinistrum latus oculos quasi feriunt multae statuae, inter quas magna Morphonis statua, sepulchrum Alexandri Severi et Juliae, matris illius, idola Aegyptiaca et innumera fere alia attentione dignissima. In porticu cernere datur plures statuas Imperatorum aliorumque memorabilium virorum, capita multorum philosophorum, ut Platonis, Ciceronis, Agrippae, et mille aliorum, Imperatrices, quarum duae habebant capillamenta in capitibus, Pontifices, ut Sixtus V. ex aere Corinthio fusus. Lex Titi Vespasiani est a Clemente XI. in tabula scripta. Ex altero latere etiam multa eminent, inter quae statua Imperatoris Commodi omnium maxima. Ceterum in porticu inspicere licuit inscriptionem quandam Reginae Succiae Christinae, cum Capitolium viseret, ex adverso inscriptionis Reginae cujusdam Anglicae positam, statuam ex aere Corinthio, repraesentantem Lupam Romulo et Remo ubera praebentem, cujus posterior pes fulmine ictus, de quo plura Cicero, mensuras Romanas, fastos Consulares, magnorum virorum statuas fere innumeras, adeo ut copia me inopem faceret impediretque quominus ne maxime quidem memorabilia possem annotare. Hic quoque jacet Palazzo del duca Caffarelli, in cujus horto cernitur lapidum congeries, quasi turris oblonga, quae columna rostrata primae de Carthaginiensibus reportatae victoriae fuisse dicitur.

D. 2. Octob.) Visi Chiesa del Gesu et St. Ignazio, ubi admirabilia sculptoriae et pictoriae artis opera in tecto et parietibus velut emicant. Sacellum quoque Ignatii magnificum est, ad cujus introitum pendet tabula argentea, imaginibus angelicis et adamantibus decorata. Hoc tem-

plum Jesuitarum est. Fui in Aede St. Martiana, ubi templum Martis quondam fuit, cujus reliquiae nonnullae adhuc exstant. Sepulchrum Martiani heic subest cum multis ornamentis et statuis, ultra quod cernuntur pulcherrimae tabulae, praestantissima opera cum sculptoriae tum pictoriae artis et ad altare imago St. Lucae a Raphaële Urbino picta.

D. 3. Octob.) Visi theatrum Marcelli ab Augusto in honorem Marcelli Nepotis et Octaviae Sororis aedificatum, quod 60,000 hominum capax est et in modum Amphitheatri constructum. Est familiae Orsinae. Cardinalis Prostoli ibi habitare dicitur.

Isola Tiberina est 425 pedes longa et 50 lata; in ea jacet aedes Apostoli Bartholomaei, hic sepulti, supra ruinas templi Aesculapii exstructa. Ad insulam itur duobus pontibus, nempe ponte Cestio et ponte Fabricio vel di quattro capi, ut nunc appellatur. De his pontibus conspicitur ex uno latere pons senatorius, a Flavio Scipione aedificatus, supra quem Senatus ibat, cum libros Sibyllinos consuleret quique nunc ponte St. Mariae nominatur et semidirutus est, et ex altero latere ponte Sisto vel pons Janiculensis cernitur, qui quondam versus portam Aurelianam duxit et a Sixto IV. renovatus est. Ad ripam cernuntur rudera templi Fauni.

D. 4.) Fui in villa Borghesii, ubi admirabilis multitudo statuarum et Imperatorum et aliorum, non minus antiquarum quam recentiorum, cum urnis, vasis, columnis, pretiosis lapidibus etc. invenitur. Ex antiquis statuis ad templum victoriae inventa est una, quae foeminam in lecto jacentem repraesentat, alia Curtium cum equo in voraginem se praecipitantem adumbrat, plures ut praeteream, quae heic describi non possunt. E recentioribus Daphne, a Bernini efficta, et plures aliae pulcherrimae sunt, quas usquam viderim. Extra villam in horto sunt sculptoria opera et prisca et recentiora cum columnis. Hortus cum luco magnificentissimus est et regio modo a Cardinali Scipione Borghesio, cujus binae statuae marmoreae hic cernuntur, instructus habetque hydraulam et

aurantiarium. Omnia accuratius perlustrare et describere non unius sed plurium dierum opus esset.

D. 5.) Vidi Palazzo Praetendentis vel Petitoris imperii ex adverso palatii Legati Gallici inter templum Apostolorum, ulterius templum St. Mariae de Loretto, et et extra Urbem Stephani Rotundam, in qua omnia martyria picta sunt. Est admirabile aedificium, in cujus cameris columnae sunt et in medio tabernaculum. A Numa exstructum est et Fauno, vel ut alii putant, Herculi dedicatum. Antiquitus maximum fuit. Visi denuo theatrum Vespasiani 87,000 hominum capax et a Tito ad fastigium perductum, qui heic centum dierum spectacula dedit. Constitit decem millionibus Scudi. A Judaeis renovatum est, qui [itaque] etiam aedificarunt Palazzo Farnese; [est] Colosseum appellatum.

D. 6. Octob.) Fui in villa Matthaei in monte Coelio. In hoc tractu propria Roma sita fuit. Muri adhuc cernuntur in horto ad St. Laterano, qui licet non spatiosus multas habet columnas, statuas, urnas et Alexandri Magni caput ingens et colosseum. Fui deinde in Giovanni Laterano, antiquissimo Christiani Orbis templo, a Constantino Magno aedificato. Heic monstrantur multae reliquiae ad altare, caput Petri et Pauli sub magnifico tabernaculo, famosa columna metallica, lapidibus e sepulcro Christi plena, statuae marmoreae duodecim Apostolorum, multa Paparum aliorumque sepulcra, quorum magnificentissimum est hodierni Papae nempe Clementis XII. cum sarcophago porphyreo, pulcherrimis imaginibus marmoreis et tabula altaris ex opere tessellato. Magnum Joh. Laterani palatium non procul abest. Locus monstratur, ubi Constantinus Magnus baptizatus fuit, et in medio campo stat maximus ille Obeliscus, 145 palmos altus a Thebe Alexandriam et ab Alexandria Romam translatus, adhuc bene conservatus et a Sixto V. erectus. Huic propinqua est scala sancta, per quam oblique genibus quasi repentes descendunt in capellam vel sanctuarium. Heic quoque fuit Palazzo Constantini, ubi baptizatus est, quod deinde familiae Laterani obtigit, unde appellationem tra-

xit. Octo columnae ante palatium Pilati steterunt, quae nunc illinc ablatae sunt. Ad templum et hortum apparent ruinae Palatii Constantini. Ibi quoque duo magna Hospitalia sunt.

D. 9. Octob.) Fui in villa Farnesii, quae est juxta et supra rudera, palatii Tiberii, quod deinde a Nerone et Vespasiano reparatum fuit. Ibi fuere 30 statuae cum 14 imaginibus dimidiatis. Illinc contemplari licet montem Aventinum, Circum maximum, templum ubi lupa Romuli et Remi est inventa, rudera palatii Augusti. Fui in templo Jani cum 4 portis, juxta quod arcus triumphalis Antonii Pii et palatium Pilati, quod adhuc exstat. In campo Vallino sunt 3 Columnae Jovis tonantis templi, plures templi Concordiae, tripartitum Pacis templum, Solis, Lunae, Faustinae templa. Deinde fui juxta arcum Severi, tum sub Capitolio. Paulo remotius cernitur arcus Constantini et puteus huic propinquus.

D. 12.) Fui in monte Cavallo vel Quirinali, vidi 4 fontes, venustam domum secundum scenographiam aedificatam, templum St. Andreae, quod rotundum et pulchrum est, piazza de Palestrini et ejus hydraulam, portam piam etc. etc.

D. 13.) Visi Cesti sepulcrum, ingentem Pyramidem, ubi etiam peregrini sepeliuntur, montem Eustachii et antiquorum hypogeum, templum, ubi St. Paulus decervicatus est, et columnam cum tribus fontibus, qui exoriebantur, cum caput illius securi percuteretur, templum St. Pauli cum 100 columnis et pavimento lapideo.

D. 16.) Fui in templo St. Petri, laminis metallicis extrinsecus et intrinsecus obducto et statuis marmoreis plenissimo. Visi sepulcra Paparum et opus tessellatum, quod crassum videtur et nondum satis laevigatum. Fui in Castello del Angelo, visi illius aggeres, propugnacula et tormenta, quorum unum Regina Sueciae Christina dedit, cameras, templum, carcerem etc. Die priori fui in Palazzo Borghese, et vidi picturas, hydraulam, hortulum, statuis ornatum, aream, quae omnia satis magnifica sunt.

D. 17. Octob.) Visi Mausoleum Augusti, ubi antea

palatium nunc simplex murus restat; intus statua illius conservata perhibetur. Deinde visi thermas Diocletianas, quarum solos muros conspexi. Heic est magnum Coenobium, cujus patres appellantur Hierosolymitani. Duodecim illorum per totum annum inclusi sunt et cibus illis per foramen porrigitur. Constituto die cujusvis anni illis exire licet. Fui in templis Bernhardi, Susannae, Victoriae, in qua fuere columnae marmoreae optime constructae, pulchrae statuae, tectum picturis ornatum et fontes vicini.

D. 22.) Fui in templo St. Petri. Visi sepulcrum Petri, circum quod centum lampades argenteae et eximiae Columnae; in remotissimo adyto stant quatuor statuae aeris Corinthii exquisitissimae, ex uno latere Barberini et ex altero Farnesii imagines marmoreae, Andreae imago, cujus caput hic conservatur, St. Helena Hierosolymitana, sinu Christi imaginem excipiens, Imago Christi, lignum de cruce manu gestans, Imago Petri ex aere Corinthio. In tecto et parietibus multae imagines conspiciuntur. Templum, anterius quadripartitum, habet dein magnam et tandem minorem accessionem, ita ut sex partes totum complectatur. Inscriptio Borghesii extrinsecus in templo legitur. Hic quoque porta est, quae non nisi in jubilaeo aperitur.

D. 25.) Fui in palatio Farnesii, in cujus area et aditu sunt pulchrae statuae mirae antiquitatis et magnitudinis, quarum duae una cum imagine tauri pretiosa in templo carnevale inventae dicuntur. In palatio quoque sunt magnae et parvae statuae, quarum praestantissima repraesentat Alex. Farnesium hostes suos conculcantem.

D. 26.) Fui denuo in villa Borghesii. Inter ea, quae vidi, eminuerunt Daphne et Apollo, Aeneas et Anchises, fundator, omnes a Bernini sculpti, Androgynus, Gladiator, Ansgarius, Mendicus et qui sunt reliqui.

D. 31.) Vidi magnam Antonii columnam cum stylobata, sculptura et inscriptione, quae major existimata est, quam ut erigi possit. Profunde sub illa detectus est campus, saxo quadrato stratus. Fui in aedicula St. Bri-

gittae non procul a palatio Farnesii atque in capella illius supra, ubi mortua est et filia illius Catharina habitavit, quae etiam in Sanctorum numerum relata est. Nonnullae illius reliquiae ibi conservantur. Illius ordinis modo tres inveniuntur fratres, qui germanici sunt.

D. 20. Novemb.) Fui in Vaticano et vidi omnes picturas Raphaëlis aliorumque et conclave. Hic 12000 camerae esse perhibentur, at creditur, re vera non nisi 1000 inveniri. Erant tamen 22 areae vel vestibula. In uno conspiciebantur eximiae statuae inprimis graecae. In horto conservabatur cinis Neronis.

D. 9. Decemb.) Fui in villa Ludovisi, cujus hortus elegantissimus cum innumeris fere statuis, quarum Satyrus mihi maxime placebat. Hic apparent Romani muri, in quibus clandestini transitus et cuniculi.

1739.

1739. d. 28. Januar.) Fui in St. Pietro in montorio, ubi Petrus quondam crucifixus est, et nunc Capucini habitant. Illinc totam urbem contemplari licet. Vidi quoque silanos Pauli, ad quos supremos aquaeductus meant quique egregie a Papa Paulo VII. exstructi sunt.

D. 29. Januar.) Fui iterum in porticu Capitolii et vidi ubi sortes ducuntur, in villa Medicis, ubi duo exquisita vasa e granito, columna Aegyptiaca, Leones Niobes et Thisbes et porticus splendidissima, cujus possessor est Don Carlos.

D. 30.) Fui ubi habitavit Regina Sueciae Christina. Hic hortus est, unde tota urbs, templum St. Petri ruraque vicina oculis spectatorum patent.

D. 2. Februar.) Visitavi Senatorem Bjelke, quocum per unam et dimidiam horam collocutus sum, quique me omni cum humanitate urbanitateque accipiebat.

D. 6. Febr.) Fui in villa Pamphili, cujus hortus

amoenissimus et picturae statuaeque pulcherrimae. Vidi aquaeductum cum valvis subterraneis, palatium Justiniani cum statuis et picturis inter se mixtis, porticum, in qua multae statuae et una exquisitior altera. Inter has eminent Lucretia, a Bernini efficta, Senex et Minerva cum aegide vel clypeo, quae in Minervae templo stetit, etc. Postea fui in palatio Berberini, in quo multum argenti multaque opera pictoriae et sculptoriae artis, in quibus excellunt Adonis, a Bernini sculptus, Faunus, Senex, Priapus et qui sunt ceteri. Fui in Vaticano, a Sixto V. instituto, et vidi magnificas picturas, egregia vasa, ingentia atria. Res pretiosae in capsis conservabantur. Vidi Virgilium et Terentium more antiquorum personatos, splendidum Novi Testamenti exemplar, facinora ducis cujusdam in parietibus picta praeter alia rara ac singularia. In Bibliotheca plures tam antiqui quam recentiores libri esse videntur.

D. 15. Febr.) Profectus sum Roma iterum Viterbium, Senam et Florentiam.

D. 20.) Veni Florentiam.

D. 24.) Vidi per duas horas Grand-duc et Duchesse. Senae est pulchrum et marmoreum templum Cathedrale, in quo 12 statuae, a Barberini effictae, egregiae picturae, pulchrum conditorium et crypta.

D. 27.) Profectus sum Florentia Liburnum, ubi magni fiebant apparatus ad excipiendum Grand-duc, qui d. 28. Febr. huc advenit.

D. 5. Martii.) Fuit splendidissima illuminatio et lampades in templis et domibus accensae. In foro exstructae erant pyramides et 9 statuae. Hic quoque flumina vini e duobus veluti fontibus scaturiebant. Lampades, in ordine pulchro expositae, pleniori clariorique luce radiassent, si figurae illarum minus obliquae et implicitae fuissent.

D. 6.) Per noctem fuit spectaculum pyrobolarium majoris sumtus quam artificii. Ardebat caerulea flamma, quae insigne regni repraesentaret.

D. 7.) Fuit tocane, et victualia, in obelisco exposita usque ad pretium 10,000 M. undique arripiebantur.

D. 8.) Fuit cours de chevaux.

D. 14. Martii.) Profectus sum Liburno Genuam. In via nihil non ab Algerianis timebam.

D. 17. Martii.) Veni Genuam, quae optimum portum habet, palatia superba a Balby, Negrone, Andria et aliis, curiam cum pulcherrimis imaginibus, inter quas fuit imago Genuensis Columbi, adeo vivide pictis, ut nihil perfectius cogitari possit. Vidi Doge, cujus vestimenta usque ad calceos rubra erant, et Nobiles, qui sunt 800, omnes nigris vestibus indutos cum parvis palliis, simis nasis et vultibus. Fui in amoenissimo horto, qui in medio Martii mense jam floruit, mala aurantia et citrea maturescebant, olivae ex arboribus legebantur, Pomona cum messe aderat.

LUDUS HELICONIUS,

SIVE

CARMINA MISCELLANEA,

QUAE

VARIIS IN LOCIS CECINIT

EMAN. SWEDBERG,

(SWEDENBORG).

EDITIO TERTIA, EMENDATA ET LOCUPLETATA.

RECENSUIT

D^r JOH. FRID. EMANUEL TAFEL,

REGIAE UNIVERSITATIS TUBINGENSIS BIBLIOTHECARIUS.

TUBINGAE
IN BIBLIOPOLIO ZU-GUTTENBERG.

LONDINI
APUD WILLIAM NEWBERY, 6 CHENIES STREET, BEDFORD SQUARE.

1841.

FESTIVUS APPLAUSUS
IN VICTORIAM,
QUAM CELSISSIMUS COMES
MAGNUS STENBOCK,
DE DANIS AD HELSINGBURGUM 1710. MART. REPORTAVIT.

Conticeant strepitus et bella parumper et arma,
Succedant plausus, jubila, vota, lyrae.
Laetitiae resonet, feriat qui sidera, clamor,
Ferveat ut sonitu quilibet inde locus:
Heic plaudat Phoebus, plaudant heic ore Camenae,
Ac iterum faciles in sua plectra volent.
Pieris ipsa tamen tacito stet tacta pudore,
Grandia quod parvo sint modulanda sono.
Quisquis et Hesperio et Eoo vivit in Orbe,
In Svionum plausus officiosus eat:
Exsiliant septem confusim sede Triones,
Laetius irradient circumeantque polum.
Sancierat Superum quondam Regina Tonansque
Tingeret Oceano ne ursa Borea caput;
Tempore tam fausto si delituisset in undis,
Protenus hinc totam se exseruisse putem.
Subviridi Scani velent sua tempora fronde,
In variis statuant celsa trophaea locis:
Nam rursus Boreos juverunt fata DEUSque,
Succubuitque ferox, Marte favente, Danus;
Cimbria transmisit quas insidiosa catervas,
Has subito stravit miles ad arma novus.
Sic licet Eois CAROLUS diversus in oris,
Attamen infestos terruit inde Danos:
Ipsius ut rumor circum fuit agmina sparsus,
Protenus innumeri militis instar erat:
Auspicio CAROLUS, ductu STENBOCKIUS hostem
Dispulit, Hic dextra, nominis ille metu.
Et Tu, STENBOCKI! CAROLIS spectate duobus,
Gloria Tu Patriae es deliciosa Tuae;

Sume Triumphalem circum Tua tempora laurum,
Si par sit meritis illa corona Tuis:
Scande novos currus, duc Victor Magne! triumphum,
Spargentur palmae, carmina Musa canet.
Si Te, Celse Comes! talem gens prisca tulisset,
Conspicuum Coelo Te posuisse reor:
At radiat nitidum stellanti sidus in axe,
Quod Tua, STENBOCKI! nomina celsa refert;
Nomina quae tulerat sidus, per saecula servet,
Et junctim servet, nomina, Magne! Tua.
In Te mens cognata polo, virtusque Parentum
Eminet, est Pater in Te, est redivivus Avus.
Vosque duces magni Svionum qui fulcra fuistis,
Nomina tam parvis non referenda modis;
Nomina si vultis memori committere Cedro,
Quam claris titulis illa superba foret.
Aurea donetur vobis non querna Corona,
Qui vestrûm meruit, sidereamque ferat:
Consiliis vestris, animis, virtutibus hostis
Stratus, nunc Aquilas, arma virosque gemit.
Liquerat Is nuper Danicas numerosus arenas,
Sed rediens paucis concomitatus erat:
Agmina ceu comites fuerant male fida sequuti
Et Timor et Pallor cumque pudore fuga:
Intonuit dextrum, subduxit nubila Phoebus,
Exitium dixit causa deditque DEUS.
Causa pigenda subest, Regum quae dedecet ostrum,
Quam merito causam rideat ipse Danus:
A CAROLO cautum est, ne crescat spiritus Hosti;
En crevit, vere vaticinatus erat.
In CAROLI vetuit laudes exire Poëtas,
Cum tamen est major laudibus Ipse Suis:
Scilicet hoc propter sudabit sanguine litus,
Hoc propter flammas, classica, vela paras.
Se decoret miles lauru, decorentque Poëtae,
De Caeso figant bina trophaea Dano:
Castalis in CAROLI laudes nunc exeat omnis,
In laudes vena liberiore fluat.

Praecipe jam Cimber magnos in mente triumphos,
Supplicium dederas, vaticinorque dabis.
Quamlibet infesti jungant sua signa Triones,
Agmina consocient et numerosa Duces,
At DEUS hanc CAROLO sub Rege tuebitur Arcton,
Vel crepitent armis Tres Triadumque Trias.
Mars aderit Boreus Lunatis multus in armis,
Ac iterum rupti foederis ultor erit.
Luna polo novies latuit, noviesque recrevit
Quo Boreum Solem Turcica Luna tulit.
Dimidiata prius, Caesar! Tua Luna refulsit,
Nunc at adoptivo lumine plena micat.
Dum Sol noster abest, ne nos erremus in umbris
Caverat, hinc Patriae sidera multa dedit;
Vos, Celsi Comites! dederat, vos estis et astra,
Qui Arctoas regitis Sole morante plagas:
En ovat auspiciis totus septentrio vestris,
Auspiciis vestris Cimbria moesta dolet;
Servastis Patriam: Cives! date laurea serta,
Ni sint pro meritis laurea serta parum;
Conspicitur Coelo septem distincta Corona
Stellis, haec Vos, haec nomina Vestra cupit.
CAROLE! spes Svionum! Te Musae et Sceptra reposcunt,
Hâc resonant arae, pulpita, templa prece:
Te Soror ac Avia en revocant, Patriaeque Penates,
Quam sapiat triplex, experiaris, amor.
Plus satis es, CAROLE! Garamanti notus et Indo;
Vix tamen es Patriae notus ab Ore Tuae,
En Tibi Germanus famulas exporrigit ulnas,
Esse volunt Comites Caesar uterque Tui.
Oceanus cupiet totum Tibi sternere pontum,
Inque Tuos reditus officiosus erit;
Nubila disjiciet Phoebus, sua lumina didet,
Gavisus radiis posse favere suis:
Sic Musae recinent, ah venit noster Apollo!
Ah voveo veniat, vester Apollo, brevi:
CAROLE! qui mensis Patrio Te sistet in Orbe,
Sit tuus in fastis perpetuoque sacer.

AD

VIRUM ILLUSTREM

IN

ADVENTUM UXORIS EJUS,

Comitante illam nova prole, Ultrajectum ad Rhenum 1713.

Jam celebrem solus circum velut otior urbem,
    Nomine quam Leidam Batava turba vocat.
Fossaque transcurrit muros, circumambulo fossam,
    In varias formas quae sinuosa fluit;
Lymphaque me secum spatiantem ducit in orbem,
    Nam Comes in ripa quo meat Illa sequor:
Flectit et in Boream jam me, jam flectit in austrum,
    Circuituque meam ludit ubique viam.
Est quasi quid Numen quod jam dum vivit in undis;
    Assiduo nostrum quod comitetur iter:
Instar et est quaedam latitet sub flumine Najas,
    Quae circum lymphas ducit agitque suas,
Et quia sim solus, quae mecum lusilis erret,
    Adque meum jungat se societque latus.
Hic ego dum spatior laevis sine Carmine chartam,
    Quae tamen est numeris hisce dicata, gerens;
Quae velut a Zephyro leviter sufflante tremiscit,
    Et digitos inter ludit aperta meos;
Me quasi permulcens, a me quid Carminis orat,
    Atque in se nostros optat habere jocos.
Laetus ut hic spatior sola comitatus ab unda,
    Dispulit en curas mens operosa suas:
Tristia diffugiunt, subit et cum Carmine cantus,
    Est mentis vacuae nam modulamen opus.
Venit amor citharae subito venitque Camenae,
    Protenus et voluit plectra movere manus:
O mihi, clamabam, properanter adeste Camenae,
    Et precor in nostrum sponte venite sinum;
In me dum vocito cultas vocitoque Camenas,
    Me super en Volucris penna streporque sonat:

Illico suspicio, volat en! per inane columba,
Inque auris alas concutit alta suas;
Sic properat traheret niveo quasi corpore currum,
Quo pulchre vehitur deliciosa Venus.
Alitis in toto fulgebat corpore candor,
Candidus ipse sinus, candida penna fuit:
Dat color indicium quod sit sine conjuge Turtur,
Quae sine conjugii vivere sorte nequit.
Cum magis adproperat, video quid in ore gerebat,
Ramulus in nidum credo ferendus erat;
Foetus erat quidam quem carpsit ab arbore Palmae,
In quo mature quid viridantis erat.
Non procul hinc Arbor patulae surgebat Olivae,
Cujus adhuc foliis frons inamicta fuit,
Sed dedit indicium, quod ver, quod tempus adesset,
Quo fieri viridis rursus Oliva solet.
Huc sinuat cursum veniens cum fronde Columba,
Inque Oleae tandem stirpe resedit iners.
En magis, hac dicta stetit alter in arbore Turtur,
Hujus Amatricis credo Maritus erat,
Qui varios motus et ovantia murmura fecit,
Ludere cum socia mox redeunte parans.
Vix fruor hoc visu, dum venit ab urbe Camena,
Quae modo de Leidis evocitata fuit.
Admotamque sibi sic clam dicebat in aurem:
Cur facis hic, vates! incomitatus iter?
O cape me sociam; fac ne Tua gaudia rumpam,
Et fac in modulos temet ut ipsa juvem.
Anne heic vidisti, quid nuper ab urbe volavit,
Scisne quid in canae Turturis ore fuit?
Ramus erat Palmae, quem duxit in ore Columba,
Porrexitque suo quem speciosa Viro.
Nescis an auspicium, Tene omina tanta latebunt,
Nil an ob adventum vaticinaris avis;
Anne suam sociam nuper, quasi Turtur amicam,
Ipse Tuus Palmquist et sua vota tulit.
Eine putes ludi vel ovantia murmura cessent,
Eine putes blandae vocis abesse jocos.

Cetera num nescis, versate per omnia mentem,
    Num quid quae nondum frondet Oliva velit;
Quam volucer petiit, prior et qua constitit alter.
    Qua Dea Pax habitat, quam Dea Pallas amat.
Multa sub hoc volucris latitant arcana volatu,
    Pandere quae Pallas, quae Cytherea vetat.
Dixit ut hoc Nymphe risitque, inopina tacebat,
    Mutaque dum stabat, mutus et Ipse steti.
Mentis inops aji, dic quid modulabor Amica,
    Nil scio quid dicam si, mea Nympha! siles:
O stupor! Haec retulit, simne Ipsa in Carmine tota,
    Ipsa tuum tantum num modulamen ero.
Dic precor Eis geminum sed in uno Carmine votum,
    Ille suam sociam retulit, Illa suum.
Dixit ut hoc jussum, rursusque repente tacebat,
    Seque simul noster stitit in ore modus:
At mecum indignans longo post murmure dixi,
    Dicere cur geminum jusserat Illa Vale;
Cur non innumerum, cur non plus mille jubebat,
    In vota ô nimium parca Camena fuit:
Usque sed hoc geminum votum, licet Ipsa recuset,
    Ingeminare Tibi bis iterumque velim.
Ipsa Tui consors societ tot gaudia Tecum:
    Quot scio Te, Palmquist! dinumerasse notas:
Si Tibi sint lucis, si tempora noctis agenda,
    Vel si Te lumen Teque vel umbra tegat;
Vos geminos inter tot laeta jocentur, utroque
    Quot numerat minimos Phoebus in axe gradus.
En Tibi quid referam, dum festa haec Carmina pando,
    Dum circum ripas incomitatus eo;
Dumque gero laevis recipit quae Carmina chartam,
    Dum super haec primam pansa tenetur aquam;
Illa mihi primis reflexa videtur in undis,
    Pendet ut in mediis scripta fuisset aquis;
Et Tibi quod scribo scriptumque videtur in unda,
    Quod voveo inque ipsa paene vovetur aqua:
Votaque quae gemino, rursus geminantur ab unda,
    Opto quod, in summa Najas et optat aquis;

Cum Tibi per ripas laetorum millia vovi,
Bis Tibi laetorum millia lympha vovet.

En Tibi transmitto quam, Vir Generose! Camenam;
Sub Jove, sub coelis hanc modulatus eram.
Cumque ego muralem modulator obambulo lympham,
Sponte sua pandit mens operosa modos:
Dumque quid invenio numeros quod currit in aptos
Mox in Gramineis membra repono locis,
Queis superinjicio chartam, ne terra sit uda,
Carmen et inscribo quod meditatus eram;
Saepius ad truncum mea membra manumque reclino,
Corpore cum nolim tangere creber humum,
Atque meam teneo figoque in cortice chartam,
Sic super inscribens quos Tibi mitto jocos:
Hicce mei affultu recipit Tua nomina stipes,
Ille Tui leviter vota valeque capit.
Sis memor hinc Leidam quaevis quae circuit arbor,
In se quid memoris sentit habere Tui;
Si foret heic laurus darem Tua nomina lauro;
Si cedrus in cedris scriptus ubique fores.

LUSUS EXTEMPORALIS
AD AMICUM QUENDAM,
Oxoniae 1712.

En jaceo multa jam circum fusus ab herba,
Et fere sufflavis occulor ipse rosis:
Sicque meos artus gramen circumtegit, herba
Ut circumerrans sit modo visa mihi:
Haec me porrectum numeroso corpore stipat,
Atque mihi tenebris frigora mista facit.
Arcet et a nostro Phoebeum corpore lumen,
Illius et radiis tangar ut Ipse vetat.
At quae se motat mea dextra canitque movendo,
Undique se Phoebi lumine plena movet.
Sive videre velit, modulor quae Carmina, Phoebus,
In numeros properam sive juvare manum;

Sive meam Musam quasi priscus amator adire,
Ad chartam et digitos nam mea Diva jacet.
En latus ad nostrum cum sic mea Musa jacebat,
Et nos circumstans condidit herba duos:
Illa meum tetigit blande bis terque lacertum,
Atque meas mulsit deliciosa genas:
Et sub blanditiis dixit, dic oro salutem
A . . . multam dicque quod opto, Tuo.
Adde, quod Illius sic ducar amore Camena,
Illius ut potior quod sit amore Tui:
Adjice quod Phoebus, (nam sic mihi dixit in aurem,)
Illum Cultorem nominet Ipse suum:
Temet et adnumeres nobis, tribus ut sit amicus,
Scilicet ut Phoebo, sit mihi, sitque Tibi.
Nosque tenet junctim quia Tres hic cespes et herba,
Jungit in hac votum Ternus Amator humo.
Conticuit, virides cum lumina mitto per herbas,
Intueorque meam sed modo mente Deam:
En citius dictu, mihi Nympha subibat, amicta
Quae viridi steterat, sis memor ipse, toga;
Binaque quam tantum divisit utrinque fenestra
Et plateae in latum non spatiantis humus:
Cumque animum vitis nostrum diffudit et uva,
Vesper et incepit cum tenebrare diem:
Quae nos transversis Bacchumque videbat ocellis
Subjectas simulans cauta videre vias.
Atque Comes noster cum se curvabat, et Ipsum
Vitiferum multo flexit honore DEUM;
Illa retrospexit, memini, paulumque favebat,
Et genibus flexis officiosa fuit;
Demisitque femur, quod mos solet esse Puellae,
Corpore demisso sit placitura putat:
Non secus ac gratum foret id nimiumque venustum,
Corporis hanc partem sic sinuare Sui,
Haec modo flexibilis nam Pars agilisque Puellae
Si sit quod multis sit placitura putat,
Illa fuit viridi velut undique gramine cincta,
Floribus aut Majae sicut amicta foret.

(En calamum cingunt, chartam Musamque canentis
    Melliflui flores, multaque thymbra mei,
Jamque hanc succinerem modulis cum forte Puellam,
    Accidit e thymbrae flore capebat apis;
Inque ipsum Nymphae nomen, quasi dulce quid esset,
    Deque ipsis traheret mel velut Ille modis,
Nescio de Nympha num combibit Ille pusillum
    Succum, sed numeros impedit usque meos:
At fugit, en video quod jam flavescat utrumque
    Et femur, ad sua quod tecta favosque volet.)
Sed mox haec intra se claustra Puella recepit
    Et subiit facies quae sed anilis erat,
Cui demsit canos et multas vespera rugas
    Et juvenes fecit virgineasque genas;
Hinc, memini, nostrum quidam cum mobilis esse
    Illius vellet flexibilisque poples;
Quod grandaeva Illi toto cum corpore Mater
    Bis pede bisque comis officiosa foret;
Sponte sua flexit sed se cum fronte capillus
    Quippe aetas capiti pondus onusque dedit:
Ipse sed obticui, nosti, mutusque sedebam,
    In facie dubiae quid gravitatis habens:
Inque meum repsit cerebrum quia Pieris, inde
    In se etiam mentem fixerat Illa meam,
Atque animo quidquid meditabar, ab ore vetabat,
    Iret ut in voces hoc sonitumque, meo.
Musa suum lusit quia sic risitque Poëtam,
    En poenam dixi, quod sit iniqua lues;
Hinc magis Illius prius ut non tangor amore,
    Cum sola solus non magis ipse jocor;
Quem docet, excipio raro jam Carmine cantum,
    Vix quoque si jubeat multa rogatus ago.
Sed mihi surripuit non plus hoc temporis, una
    De toto Phoebi quam solet hora die.
Parte reor coeli jam dum quoque perget eadem
    Phoebus vix ierat quinque decemque gradus.
Quamlibet is currit semper properatque per axem,
    Sustulit undecimum vix tamen Ille pedem;

Vixque unum Carmen jamdum confecit in axe,
Tot propere cecini cum tamen Ipse modos:
En prope sub plantis ludit resonatque fluentum,
Pisciculosque unus qui capit adstat aquis.
Ultimus hic numerus cum clauderet Ipse priores,
Insidiis piscis captus et alter erat:
Venit ut ex undis multum quasi lusit in aura,
Et saltus quosdam fecit ibique modos;
Inque auram sursum cum desiit Ille salire,
Desiit et plectrum Nympha movere meum.

FABULA
DE
PERILLAE ET NEREI AMORE.

Inter Hyperboreas olim pulcherrima Nymphas
Telluris proles prima, Perilla fuit:
Sola fuit quondam spatiataque litore sola,
Nam fuit Ipsa Sibi deliciosa comes.
Pax erat Oceano siluitque et ventus et aequor,
Ac instar laevi marmoris unda stetit:
Huc illuc agiles saliisse sub aequore pisces
Visum est, et tremulos effigiasse sinus;
Sol et marmoreis paulum tremulabat ab undis,
Totus et in fundo concavus axis erat:
Quae steterant supra, montes sylvaeque domusque
In medio veluti mersa fuere salo.
Cumque suas volucer vibrabat in aëre pennas,
Umbra et sub ponto visa volantis erat:
Ipsaque sub lymphis speciosa tuentis imago
Constitit inverso cum pede juncta pedi:
Cum sua membra movet, sua membra movebat imago,
Risit, sub medio risit et umbra freto.
Sed simul huic latuit Nereus conterminus umbrae,
Inque suis gelidis arsit amator aquis.

Os quia Virgineum densis suspexit ab auris
    Sole repercussum, pulchrius inde fuit.
Non secus ac aqueos Iris spectata per arcus,
    Non secus ac Eos cum exit et intrat aquas.
Haeret in obtutu subque undis concipit ignem,
    Inque suo insidias aequore tutus agit:
Et modo nunc udo centum sub pectore versat,
    Et modo jam centum non probat Ille dolos.
Jam trifido voluit litus subvertere telo,
    Ut suimet ulnis excipienda cadat.
Jam placet a toto secernere litore litus,
    Ut sic amplexum sponte juvantis amet;
Jam comes esse suis quas Phoebus colligit undis,
    Imber ut in Nympham tutus Amator eat.
Increpat Ipse tamen Se, nam non esse venustum
    Dicit, pollicitis est capienda meis;
Protenus e summis canum caput extulit undis,
    At sua canities fronde adoperta fuit:
Si tenerum placeat, dixit, Tibi nomen amantis,
    En heic qui praefert nomen amantis adest:
Divaque si fieri calidisque assuescere votis,
    Te nauta et pontus Te quoque Nympha colet.
Si Tibi divitiae cordi, si gemmea dextris
    Sceptra, en has tantum possidet aequor opes.
Si Tibi displiceam pro Te feret altera pontum,
    Illa Tibi leges et Tibi jura dabit.
Nympha sed expavit totoque expalluit ore,
    Sic velut in gelidas lapsa fuisset aquas:
Litora devovit, per densas concita sylvas
    Erupit, timidae et praetulit ora fugae:
Non timor Ei sylvae praeruptaque saxa fuere,
    Ipse fuit Nereus, litus amorque timor.
Hinc cupit in mediis totam se condere lustris
    Jamque est nec tigris neve leaena timor.
Quae prius ad quamvis mollemque cohorruit auram,
    Jam cupit ut toto Jupiter axe tonet:
Nam prope subsequitur vario cum murmure Nereus,
    Et sinuat gressus insidiasque parat.

Jam fere currentis retinet vestigia Nymphae,
Jam quasi sub pedibus ludere visus erat.
Cursus erat rapidi veluti torrentis, et Ipsa
Vox erat Ei tamquam grande sonantis aquae:
Nunc gemit et queritur, tumido nunc ore minatur,
Jam vocem intendit, jam quoque frangit amans;
Caecus et in scopulos truncos salebrosaque saxa
Irruit, ac artus vulnerat Ipse suos.
Nympha per objectos lacerat velamina ramos,
Sente secans teneros, qua patuere, pedes.
Vix bene jam spirat, pectus quasi clauditur auris,
Multus et e toto corpore sudor abit,
Colligit hunc Nereus, trepidis immiscet et undis,
Caraque de caro corpore gutta fuit:
Gutta sed invito, mirum, se miscuit undae,
Dumque undam tetigit, frigida facta fuit.
Rupis erat juxta propere quam scandit anhela,
Quae foret aequoreo non adeunda deo:
Fessa licet rupem superat, timor addidit alas,
Nullaque cum saxis lucta laborque fuit.
Unda per erectum sic fertur in aëra plumbum,
Inque altum multo flumine pressa salit.
Constitit alta jugo Laurus, Tua dicta Minerva!
In qua Pyramidos forma decorque fuit.
Huc volat et brevibus laurum sic implicat ulnis,
Prout hedera aut quaevis reptilis herba solet.
Hic sine voce stetit, demsit timor ipse loquelam,
Spiritus et presso stipite pressus erat.
Quod potuit tantum, timido modo murmurat ore,
Invocat et fessa et supplice voce Deam:
Affer opem, dicit, Te amplector in arbore, Diva!
Me in gremio laedi ne patiare Tuo:
Moxque preces, lacrymas, plausus confudit in unum,
Oscula corticibus multa et amara dedit.
Annuit Ei Laurus, fuit ipsa sub arbore Diva,
Anxia pro casta virgine virgo fuit:
Exit et a calido Nympham Dea cortice vellit,
Et subit in gremium quo prius arbor erat.

Cum tremulum vidit, pallentia lusit in ora,
Lusit et in laceros Diva jocosa sinus.
Quumque jocis animum dederit faciemque Puellae,
Alloquitur blandis seria mista sonis.
Nescis et ô nescis thalamos quos effugis, inquit,
Sceptra, DEUM ponti, divitiasque fugis.
Siste, Perilla! gradus, agitur pars tertia mundi,
Sceptraque Junoni et regna secunda Jovi;
Quem fugis, e multis multae petiere Puellae,
Votaque multarum sola Perilla fugis.
Cur mihi blandiris, cur me Tua brachia mulcent?
Es mea, crede mihi, sumque, Perilla! Tua;
Inspice si possis pectus vel et inspice vultum,
Dic mihi num pluris Te Tua mater amet.
Affer opem, clamas, magnus Tibi Nereus instat,
Quicquid opis possim, me tribuente, feres:
Inspiceres utinam volucris tua tempora vitae,
Sponte nec hunc peteres sollicitata torum:
Aequoris in thalamo Nymphas post secla sedentes
Aspicies oculis invida saepe Tuis.
Supplicat Illa tamen pulchra ore rubente Perilla,
Unus amor, dixit, Tu mihi, Pallas! eris.
Oscula non ausit labris vel forte nequivit
Nympha dare, Illa brevis celsaque Pallas erat:
Figit ubi potuit, gremio quia Palladis haesit,
Huic dat, in hoc condit suavia multa sinu.
His Dea mota fuit, parvae mox cassida fronti
Applicat et teneris aegida quanta toris:
Inde ferox refluit Nereus stimulatus ab ira,
Inque suis semet condit amarus aquis.
Nostra Tibi vilis quamvis sit regia, dicit,
Et licet armisonans sit Tibi Pallas amor,
Te tamen ambobus claudam, mihi crede, lacertis,
Hoc in corde tenes plus quia parte mei:
Dixerat, et propere nunc huc, nunc volvitur illuc,
Jam ruit in gyrum, jam quasi lentus abit:
Labitur in cuneum, subtensum format et arcum,
Inque latus pergit, circuit atque cavat.

Si referat verum vates, Tua terra Perilla!
Effigiem magni pectoris inde tulit.
Ipse DEUS multo circum Te flumine currit,
Teque suum veluti sanguine pectus alit:
Influit et refluit, terraeque in viscera dulcem
In venas instar mittit Amator aquam.
Dat quoque, si credas, jamdum mulcimina Nymphae,
Atque preces repetit, num velit esse sua.

AD

VIRUM CELSISSIMUM

CARMEN EPISTOLARE.

En Tibi quid referam? liceatne referre jocosa?
Ludere nam Tecum nostra Camena cupit.
Quid decus est pulchrae quid forma venusta Puellae,
Ni quoque sit cultis deliciosa jocis?
Tempus adest, Phoebus cum multus in axe moratur,
Serus in occiduum cum cadit ille mare.
Cum propior geminis rutilus fert lampadas ursis,
Nec procul a Borea dissidet altus humo.
Tunc mea, quam numerem minimas Heliconidas inter,
Me prope sub myrto musa Borea fuit.
Et mihi dic, Vates! ait, quid agrestis in umbra,
Inque suburbana, lente! recumbis humo?
Quidve domi latitas, qui jam peregrinus ab oris
Nuper ad haec Patris factus es arva redux?
Surge, precor! rursusque migra properanter in urbem,
Quae Duce, quae populis ambitiosa tumet;
Quaeque Virûm Lauris, quae Dîs, quae Principe gaudet.
Totque ubi sunt aulae, totque trophaea nitent.
Quid juvat hoc ruris, quid nos jaceamus inertes?
O quam nos nymphas urbs populosa decet!
Risit ad haec Vates retulitque jocanter, amica!
O quam diversae te trahit Urbis amor.

Nilne times Procerum, gemini nil Principis aulas?
Nil quoque Bellonam, quae tenet urbis ebur?
Quid velis ignotos inter, quis carmen amabit,
Et quis delicias Martis in urbe Tuas?
Sunt ubi Magnates, qui Musam et Pallada spectent!
Est ubi sub nostro Delphica terra polo?
Hinc maneas potius, cole mecum hoc ruris et urbem,
Aptius adveniat cum Tibi tempus, adi.
Vel scio quid facies, si sit Tibi tanta cupido
Imbelli fortes jam penes esse Viros.
Indue Coeruleum, Parnassidos exue cinctum,
Amazonem poteris, vel simulare Virum:
Vel poteris Martem, Clypeo circumdare pectus,
Si velis et geminas ense gravare manus.
Sive Deam Belli; circum modo solvito crinem,
Atque supra binas Te relocato rotas.
Sic transformis eas; et in hocce placebere cinctu,
Temporibus cinctus par erit ille Tuis.
Dumque tenes urbem, quam multa palatia linque;
Sitque modo oculis curia tacta tuis:
Neve gradum sistas, socies nec carmina nervis,
Quam cum **** sit tibi visa domus.
Est puto pallenti est flava circumoblita calce;
Miles ubi excubias alter et alter agit.
Quam dum rescieris, properes Heliconi! parumque
Dum retrahes animam, in limine siste pedem.
Dicque tuum nomen, frontemque fidemque revela,
Et Citharae carmen vel quoque junge lyrae.
Nec metue, est comis Nymphisque affabilis, esset
Clio! velut proles, Melpomeneve! Tua?
Est Vir adhuc juvenis, liceat si credere famae,
Quippe mihi nondum notus ab ore fuit.
Frons est Ei facilis, ridensque patensque Camenis:
Sic quasi, Maecenas delitiose! Tua.
Labraque purpurei sunt plena decoris, ut olim
Vaticinor Suadae dulciloquentis erant.
Flamma novusque novusque Vigor translucet ocellos,
Temporis ambiguas queis videt Ille vices.

Hunc simul ut spectas, erit Is Tibi Magnus Apollo;
Illiusque oris forsan Apollo fuit.
Ut venit adpropera parvumque dedisse libellum,
Nomine qui Borea est dicta Camena refer.
Et nomen fateare meum, fateare Parentis;
Eique Tuos narres officiosa jocos.
Sive Leonta velis, formosam sive Coronin,
Sive referre Tuos, dulcis Olivi! faces.
Sunt modo fabellae, vel res sine pondere, quales
Garrula, cum veniat vespera, narrat anus.
Ast ideo volui sint ut sine pondere, mentis
Ut bene discutiant pondera multa Tuae.
Et ne dextra vacet, sparsum quoque porrige carmen:
Tingat at exiguus, dum legit, ora rubor.
Cum legit et narras, si forte supervenit alter,
Si rota ferrisonans, saxave pulset equus:
Tunc tenet aut portam Magnas, aut limina Princeps,
Adque Tuas Musas Ille vel Ille cupit.
Si, Parnassi! sapis, tunc post aulaea jaceto,
Dumque vacet, Phoebum rursus adito Tuum.
Si Te Hic Phoebus amet, solet Is peramare Camenas,
Quam, Parnassi! mihi magna Minerva foret.
Hanc Tibi, Celse Comes! Boream cum mitto Camenam
Nox*) est, quae vincit paene nitore dies.
Quam celebrant ludis juvenes, celebrantque venustae,
Quam Dryas et Najas, quam quoque rura colunt.
Ponitur in medio sublimis in aëra Malus**),
E quo cum Lauris pendet Oliva novis.
Quem circum Juvenes saliunt mollesque Puellae,
Altera cum alterius consociata manu.
Credere si liceat, sua tunc capit omina Vulgus,
Tunc populo sortes vulgat Apollo suas:
Si saltent, referunt, plectantque hac nocte choreas.
Inde sequens annus deliciosus erit.

---

*) Midsommars natten.

**) Dansa omkring Majstängen.

Hinc ego nunc modulor, nocturnaque carmina pando:
Omen inest, annus deliciosus erit:
Omen inest, recinent Tibi carmina mille Camenae,
Seque Tibi faciet Musa Borea sacram.

POMPA ANTEFUNEBRIS,
CUM REGINA AVIA SVECIAE,
HEDEVIGA ELEONORA,
COMITANTE
SCEPTRO, CORONA, AULA, MILITE,
EFFERRETUR AD SEPULCRUM.

Frangito, Sappho! citharam, fidesque
Rumpito laetas, Tibi, Nympha! tempus
Venit, ut tandem incomitata nervis
Carmina cantes.

Quae volaras sic toties ab arcto,
Fama! in Europen Svionas celebrans:
Jam sede ad bustum, et simul ede paucas
murmure voces.

Gloriae arctoae Dea! tot triumphis
Clara, tot lauris, geme! proque Lauro
Sit Tibi jam Vitta, loco triumphi
Pompa doloris.

Tu terror quondam populis decore!
Aureum Sceptrum! quid adhuc smaragdis,
Quid micas astris, comiteris urnam
usque sub orbem.

Tuque quae splendes adamante, quaeque
Purpuram illustras radiis, Corona!
Jam cuba pulvino in atro, jaceque
pallida gemmis.

Aula! tot quondam Proavis avisque
Inclyta, Europeis quoque sidus aulis.
Jam minor justo es, comitare pompam,
orba Parente.

Miles Arctoë! hanc quoque claude pompam;
Moeste et inversis spatieris armis!
Atque humi spectes, et amicta pullo
Pectora plangas.

Tu *) Parens Tellus Veterum Gothorum!
Gentium Bellona et origo quondam!
Jam comis passis laceroque amictu
adgeme pompae!!!

*) Suecia.

IN FABROS
QUI
MAJORES FERRI MASSAS FORMANT.

Admovet Hic pondus rude praecipitatque Caminis,
Hic ustum lignum suggerit, Ille faces.
Succutit et versat massam hic, hic forcipe prendit,
Incudi candens ille reponit onus.
Hic circum incudem pergit, diffingit et ornat,
Ingerit hic rivum grande sonantis aquae.
Ex sonitu surdi stabant, ex sulphure nigri;
Adde modo rugas ora Charontis erant.

IN
FODINAM FAHLUNENSEM.

En mirum! in situla superis delabor ab auris,
Et feror ad manes pendulus usque nigros.
Sed mihi dum medio vibrabar in aëre pendens,
Dulce fuit sacros concinuisse modos,

Dulce fuit tenuem fragilemque expendere vitam,
Funis ab arbitrio quae mihi tota stetit.
Ecce in fodinae latebris ruit infera turba,
Sub vultu fusco me comitesque stupens:
Subvolvit lapides pars, pars in pulvere sudat,
Dejicit hic lignum, suggerit Ille faces.
Ille subit latebras, Hic exserit ora lacunis
Usta, Charon vel quae rideat ipse niger.
Nititur hic tremulis scalis, subsidit in urna
Hic, medium tantum sustinet urna virum.
Hic sinuosa terit strata, hic et pergit in orbem:
In gyrum parvos Ille recurvat equos.
Omnia quid memorem, sunt plena laboris et artis,
Non ars materiâ est, illa nec arte minor.

ULTIMORUM LAPPONUM
DESCRIPTIO.

Ultimus in terris recubat quo circulus, ursa
Quo decies septem surgit in axe gradus,
Et medio occasum tumulat quo Phoebus in ortu,
Hesperus ac oritur, Lucifer ipse cadit:
Saepius in Coelo quo Sol ruit altus, in uno
Quo vesper miscet seque ubi mane loco.
Hic videas Homines parvos et in ore rotundos;
Et membris graciles, moribus esse feros:
Eis rubet ad pectus vestis, sciteque plicatur,
Et rubeas ornat fibula multa plicas:
Pars ea sed nuda est, qua cingunt pectora costae,
Est ibi dissuto vestis aperta sinu:
Saepe sub hoc Boreas male cum frigesceret axe,
In tali referunt intepuisse sinu.
Per saltus volitant, sylvasque nivesque fatigant,
Atque feri pellunt in sua lina feras:
Saepe solent longos plantis subnectere contos,
Ac timida citius currere saepe fera:

Ipse Patrem natus, Catulus velut ipse lyciscam
Insequitur, cursu non tamen ambo pari:
Ambo tamen pariter condunt sub pectore tela,
Saepe Tuo, Lynx! at saepius, Ursa! tuo;
Direptoque feris circumdant tergore membra,
Fit toga, fit tegimen, quod prius ursa fuit:
Sic plane induitur, modo pronus et ipse recumbat,
Cognata posset fallere pelle feras.

In Poëtriam quandam cur Carmina Ejus placeant.

Dic mihi cur nervus, quem tangit amoena puella,
Plenior ingenio deliciisque sonet;
Cur quodam inficiant sua Carmina nectare Nymphae,
Cur vox e pulchro dulcior ore fluit:
Dicere quidquid amat, fluit id dicentis ab ore,
Contingitque labris verbula quaeque Suis;
Hinc amor in cantu est geminus, non Carmina tantum,
Ob labra sed vocem dulce Canentis amant.

In Eandem, ut mihi rescribat.

Non adamo tantum digitos linguamque disertae,
Labraque, queis toties oscula ferre velim:
Sed quodcumque moves quando Tua Carmina condis,
Nempe tuum totum mobile corpus amo:
Fortunatus ero, parvam si forte Camenam,
Literulam aut noster sit pariturus Amor.

Delia in nive ambulans.

Sola ut per flavos spatiata est Delia campos,
Alatus subito desuper imber adest:
Adstitit e summa delapsus Jupiter arce,
Ut DEUS argenti luderet imbre Deam,
Qua patuere sinus, se nix heic indidit audax,
Se velut in nidis multa recondit avis:
Moesta sed in lacrimam semet guttamque resolvit,
Victa quod a gremio candidiore foret,

Membra dein fluxit tristis per lactea, demum
In tunicae limbo gemmula facta stetit.

In Puellam dictam VICTORIA.

Lux Tibi natalis dedit Victoria nomen,
Multorum es voto nobilitata Ducum:
Arma licet capias nusquam Victricia, Victrix
At quod sis, dono Nympha! Parentis habes.
Forma Tua est Victrix, hinc multa trophaea locabis;
Sed scio succumbes quod quoque Victa semel.

In nuptias Cujusdam dictae Aurora cum Sene.

Nilne Tui pigeat, nullo sis tactane luctu
Velle apud antiquum nocte jacere virum.
Si sapis, Aurora! cito quolibet aufuge mane,
Et Phoebum in coelos concomitare Tuum.

In Aurorae Cujusdam et Juvenis nuptias.

Innumeros ambo numeretis ut ordine Soles,
Auroras nullas Luciferosque precor.
Scilicet ut vestros Aurora et Lucifer inter,
Transeat amplexus deliciasque velim.

In Eosdem.

Pulchra Tuo irradiet semper Matuta cubili,
Fervidus et medio Sponsus in igne cubet.
Non timeas tenebras, semper Tibi crastinus atque
In medio, miror, noctis apricus eris.
Cum Tua puniceis thalamis Pallantias exit,
Tempora tunc dicam noctis opacus agis!

Aliter.

Diva modo pernox amplectitur ipsa maritum;
Anniculus gremio Tu sed inesse potes.

In Juvenis et Vetulae mulieris nuptias.

Cur vetulam ducis, Juvenis peramande Puellis?
Cur gelidam calido vis refovere sinu?
Credideris forsan recalescere posse morando,
Ut gelidum quondam Pygmalionis opus.

Aliter.

Quid velis, o Juvenis! Vetulam Tibi jungere lecto?
Et gremio tantum quid refovere gelu.
Est veluti glacies, fortasse liquescet in undam,
Cum flammis circum fota sit illa tuis.

Aliter.

Non bene conveniunt nec in una sede morantur,
Quae sunt naturis dissociata suis.
Mollia cum duris, cum siccis humida certant;
Cumque igne et calidis frigida pugnat hyems.
Num par hoc dispar concordia suavia junget,
Sicca dabit Juvenis, humida reddet anus.

Aliter.

Quot Tibi non canerent mea Carmina vota, Belinda!
Quot non optarem deliciosa tori.
Si prius, ut fueras olim, juvenescere posses;
Sique novata annis Colchidos arte fores.

In par senile cum inirent nuptias.

Cypri! move risum, festisque applaudite Musae!
In numeros tremule, curva Senecta! rue.
En celebrant taedas, ineuntque recentis amoris
Foedera, queis ardor nullus et ignis inest.
Sic reor umbra umbrae, sic viti jungitur ulmus;
Marmora Sculptoris sic sociantur ope.

Aliter.

Ruga Tua, o mulier! sulcet quam tortilis ora;
Inque quot est pellis ducta reducta plicas.

In rugis habitas, quas si replicare per orbem
Posses, o esses quam spatiosa gigas.
Corpore credo tuo gemino fores aequa Parenti,
Et totum posses intus habere Virum.

In Doctissimi et Pulcherrimae nuptias.

O bene quam Docti circumdent brachia Pulchram;
Quam bene formosas ingeniosus amet.
Nam mens in quovis habitat mortali superne.
Forma loco semper inferiore jacet.

Aliter.

O quam sis cultus, nove Sponse! at cultior illa,
Ex Te vaticinor post breve tempus erit.

In Poëtae et Puellae nuptias.

Incole Parnassum nunc, Sponse! adamaque Camenam;
Virgineumque sinu nunc Helicona fove.
Sique dies aestu caleat, si labra sitescant,
Ex aganippeo plurima fonte bibas.
Carmina cum cantas, cum plectis pectine nervos,
Tangere fac nervum discat ut Illa tuum:
Et cum per resonas jam ludis arundine silvas,
Non procul a sponsa ludat arundo Tua.

Aliter.

En vates! geminam sed in una virgine Musam
Tam, Romane! tuam, quam quoque, Suece! tuam.

Epithalamium in Amici Poëtae nuptias.

Armisoni strepitus procul hinc procul este timores;
Et triplex triplici rumor ab hoste tace.
Ast Citharae subeant ac pulsi pectine nervi:
Multa Tibi et suetis gaudia juncta jocis.

Ad numerum nymphae saliant plaudantque choreas,
Molliter alternent hae sinuentque pedes.
Nam datur XXXX conjux datur ecce XXX
Incipiunt pariter conjuge et ambo frui.
Ille lyrae solers tot amatus saepe Camenis,
Unius est Nymphae non nisi factus amor.
Dicitur Haec (liceat laudanti credere famae
Cum nec adhuc oculis nota sit Illa meis)
Moribus esse Charin; oculis ac arte Minervam:
Et labiis Floram; ac ore genisque Cyprin.
Possidet has Divas junctim spectatque tenetque
****, teneat, possideatque precor!
Pluribus una Charis placuit sive una Minerva;
Ast Hic, multorum quod fuit, unus habet.
O novies faustum! o Veneris sub sidere natum!
Cujus in amplexum haec Sponsa venusta venit.
Vaticinor decimo cum Luna moratur in orbe,
Sponsus erit genitor, sponsaque mater erit.
Sive Puer niveus vestrum distinguet amorem:
In vestra aut ludet parva Puella domo.
Moribus Hi referant Charites referantve Parentes;
Ore suo Matrem Haec reddat, Hic ore Patrem:
Noscitet ut genitor parva sub imagine vultus
Ipse suos; videat Mater ut ipsa suos.
Sin numerosa domus fiat, sique annua proles;
Hic Matrem, Hic Patrem, Hic effigiabit avos.

In obitum Puellae dictae Dorothea, in veris tempore.

Cum Ver extinctos veteresque regignere flores,
Atque animare solet quae periere rosas.
Majaque cum veniat, cum circum serta Puella
Et Juvenis palmis consociata ruit;
Tunc, Dorothea! fugis, tunc Ver dulcesque Choreas
Linquis et in brumae tempora tristis abis.
Es quasi Narcissus, solet is pallescere, primi
Tempora cum veris pulchraque Maja venit.

Aliter.

Cum novus in Vernos ales fert stramina nidos,
Cum conjux volucer se super ova locat:
Tunc cadis exanimis, nec pullos elicis ovis;
Nidulus exiguas nec tuus abdit aves.

In Poëtam naufragum et ejus Camenam.

Proh dolor! in gelidis jacet is gelidissimus undis,
In cujus tantum lampadis ore fuit:
Proh dolor! in frigus formosus vertitur ignis,
Atque in pallorem tantus in ore rubor.
Quid cum Vate velis, Raptor! non cantat in undis,
Et tibimet Musam non dabit ille suam.

Aliter.

En perit in gelidis, proh luctus! naufragus undis,
Carminibus poterat qui sociare fidem.
Ecce suo junctim moritur cum Vate Camena;
Num Dea sic possit numne Camena mori.
Cumque Illo junctim moritur quoque multus Apollo;
Numne Deus possit, num vel Apollo mori.
Ah non! Musa modo vivat, modo vivat Apollo;
Crede mihi haud poteris, Care Poëta! mori.

Aliter.

Credere figmentis si vis, est Vena Poëtis;
Et dulcis Vatum rivus ab ore fluit:
Sed Tibi cum tantis sic naufragus incidis undis,
Nullus erit rivus nullaque vena magis.

In Poëtam qui sa in sagum produxit.

Vox velis ut sagi sit se productior, ipse
Nolis et ut bellum sit breve sitque sagum:
Te toga fortassis, Vates! vel pacis amictus,
Sed scio non poterit nobilitare sagum.

In libellum nostrum dictum Daedalus Hyperboreus.

Daedalus en auras carpit, ridetque superne
Quos sibi Rex Minos struxit in orbe dolos.
Auras arte tua sic tu, mi Daedale! carpe,
Atque dolos ride quos Tibi turba struet.

Aliter.

Te quia tot vallis Minos, quia milite claudit,
Atque Tuae in patria vile sit artis opus:
Daedale finge alas! transque aequora dirige cursum;
Non ibi clausus eris, non ibi vilis eris.

In Parentis mei Schibboleth.

Discimus hic, Genitor! liber est tuus ille Magister;
Quomodo sit proavus sitque loquutus avus.
Qualiter et noster, domuit cum Teutonas, inter
Rite loquebatur Magnus Adolphus avos.
Qualiter Herois tanti quoque Nata sit olim
Cum Musis culta voce loquuta suis,
Qualiter et subitis Hostem qui terruit armis
Gustavus nostri Carolus orbis honor.
Dicta doces Regum magnisque insculpta trophaeis
Verba, et tantorum in marmore sculpta Ducum;
Sed quia jam veterum sunt rudera facta trophaea,
Verba simul pereant ne quoque tanta caves.

Aliter.

En duplici triplici fortis Suio cingitur hoste,
Hic Danus infelix, hic quoque Teuto venit!
Sed patriam violet ne Teuto Danusque loquelam,
His queiscunque potes viribus ipse caves.

Aliter.

Quid, Suio! nilne sapis, nil quam praesentia curas,
Et modo spectari quod queat ante pedes?

Neve, oblite Tui! vis praescius esse futuri,
Nec bene praeteriti temporis esse memor:
Sed, Genitor! melius, praesentia nosse simulque
Quae fuerant et quae praeteriere, doces.

Aliter.

Cum Tua flagravit, Pater optime! villa, disertum
Per flammas referunt hunc periisse librum.
Usque at adhuc vivit, subiit non ille supremos,
Neve gravis Suionum lingua decusque rogos.

Aliter.

Suada vetus Suionum moritur, vos ducite pompam;
In Te sed rursus fit rediviva, Parens!

In Amazonam victam a Milite.

Quid sis crudelis! quid mollem saevis in hostem?
Stringe modo gladium, et victa Virago cadet.
Seque, dabit veniam, spoliare ut possis opimis;
Telaque sub medio condere crebra sinu.

In militem imbellem, qui vulnus lethale sub pectore accipit.

Credere si liceat latitat sub pectore Virtus,
Cum Vita Virtus estque necata tua.
Morte peris duplici, miles! Tecum sub eadem
Ipsa Tui virtus nam tumulatur humo.

In alium Vulneratum sub latere.

Credere num possis, plures timuisse Venustas,
Heu! laesi lateris, quam timuisse Tui.
Turba Puellaris quasi saucia Vulnere, Temet
Reddere nulla magis Vulnera posse putat.

In Parentis mei effigiem aeneam, quae non liquefacta est in domus ejus incendio.

Haec erat in mediis facies illaesa favillis,
Cum deflagravit nocte fluente domus.

Sic quoque post ignes, Genitor! tua fama supremos,
Postque rogos vivet nomen amorque Tui.

Aliter.

Mira audi! in flammis haec sculpta latebat imago,
Deflagrante domo; nec liquefacta fuit.
Adspice, spectator, pietas his quanta labellis
Insit; ut et plenus quam gravitate decor.
Quae doctrina latens, quae vis lucescit ab ore:
Quis faciei quosvis afficientis amor.
Culpa foret tanto ni flamma pepercerit aeri,
Reppuleritque suas hujus ab ore faces.

Aliter.

Mira Tibi referam, fuit haec indemnis imago
Sub flamma, flammis cum periere Lares.
Es, Pater! ut Phoenix, Tua forma renascitur igne,
Vivaque per flammas in sua fata redit.

AD

SOPHIAM ELISABET BRENNERIAM,

UNICAM AETATIS NOSTRAE CAMENAM,

CUM CARMINA SUA DE NOVO CANERET.

Quas coluit Latium quondam vel Achaja Camenas,
Ex vatum cerebro quaelibet orta fuit.
Quae vero in Boreo colitur jam Pieris orbe,
Illa est ex cerebro non nisi nata suo.
Musa suum nomen debet vitamque Poëtis,
Haec sibi se debet carminibusque suis.
Se quoque BRENNERUS SOPHIAE, Sophiaeque Camena:
Sic Musae est Phoenix, sic sibi, sicque Viro.
Cum citharam tangit, sic jungit carmina nervis,
Ut potior fuerit ficta Camena negem.

Ut superat lumen tenebras, vel corpus ut umbram:
Sic Clarias superas ELISABETHA Deas.
Te tantam, lauro Suiones hederaque coronent:
Prima Eis Doctarum ac ultima forsan eris.
Si modo Te tulerint Naso vel Cantor Homerus,
Pro totidem Musis, unica Musa fores.
Auguror ipsa sequens sic Te venerabitur aetas,
Ut Te pro Musa Semideaque colat.
Nam fugiet Manes, ignes, cineresque supremos;
Nesciet et mortem pars Tua magna suam.
Hanc Tibi vaticinor lethen, ignosce putabit
Postera Te SOPHIAN turba fuisse Deam.
Hinc Te non aeri mandes memorique cupresso;
Nec nomen cedro marmoribusque Tuum:
Nam Tuum in ulterius nomen se porriget aevum,
Marmora cum pereunt Diva superstes eris.

CANTUS SAPPHICUS
IN CHARISSIMI PARENTIS
DOCT. JESPERI SWEDBERGII,
EPISCOPI SCARENSIS
REVERENDISSIMI
DIEM NATALEM.
D. XXIIX. AUGUSTI, ANN: 1716.
AETATIS 63,
SIVE
ANNI CLIMACTERICI MAGNI.

Surge nunc, Sappho, cape mane multo
Barbiton dextris, citharamque levis:
Dum cubat stratis Genitor, quaterna
Carmina plectas.

Num sub Auroram vigilet, relustra,
(Fidus Aurorae solet esse Custos,)
Tunc Eum circum canor, atque festa
Vota susurrent.

Lux adest festis celebranda votis,
Digna ter centum Clarium canore,
Atque Sapphonum, fuerintve mille,
Ore lyraque.

Nos modo binis modulisve ternis
Tot lyris dignam celebremus horam:
Nam pusillum tam Pietas amat quam
Gaudia carmen.

Nam, Pater! septem novies recursus
Videras coeli; toties et horam,
Quae Tuae quondam fueratque Nostrae
Lucis origo.

Pallui o quam! cum veniebat annus:
Ille vivendi solet esse meta
Pluribus, carisque Patrum Senumque
Terminus aevis.

Laetus ast Ejus video canoque
Exitum, laetus superesse fatis,
Et nefasti Te, Genitor, periclis
Gratulor aevi.

Centies posthac voveo recurrat
Ille: sed forsan nimis est quod opto;
Si nimis, septem novies at optem
Usque recursus.

Scilicet, rursus videas ut aevum
Hoc: ut in Te se geminet senecta,
Rideatque in bis geminis senectis
Paene juventa.

Sed licet retro Tua sit juventus;
Sit tamen vivax senium, usque menses
Dum quot Augustos, numerare possis
Totque nepotes,

Vovet
EMAN. SWEDBERG.

AD

SACRAE REGIAE MAJESTATIS

SUMMAE FIDEI VIRUM,

REGNI SUECIAE SENATOREM,

CELSISSIMUM COMITEM,

COMITEM

DE

W E L L I N G K,

MUSARUM PATRONUM.

FABULA.

Fabula narrat, Musam Uranien perdite amavisse Apollinem, et ideo exosam fuisse vitam Virgineam et Juventam, quam perpetuo haberet: et quia Apollo non esset in coelis, se multis decoramentis ornavisse, et sic ex coelo descendisse: utque inveniret Illum, ivisse primum in Sueciam (quae sub Viraginis nomine venit), quae moesta staret, quam cum frustra interrogavisset de Apolline suo, ad Aulam Sueciae tetendisse; sed cum nec ibi suus Apollo reperiretur, in varia loca Europae, et tandem ad Brunswicam, ubi cum geminos fratres Castora et Pollucem spectaret, subito vidisse juxta illos Apollinem suum, ad quem cum accessisset, aperuisse statim suum amorem, et oravisse, si nollet redamare, ut potius auferret de se juventam, sive ut se in Virum transmutaret, quod etiam factum est. Unde Uranien (per quam se partim intelligit poëta) factam esse famulum Apollinis, ejusque adventum ivisse nuntiatum Sueciae.

FABULA

DE

AMORE ET METAMORPHOSI URANIES

IN VIRUM

ET IN FAMULUM APOLLINIS.

Una *) fuit Musas inter, sublimis in astris
    Quae sedet, et clarum nomen ab axe trahit:

---

*) Musa Uranie, sub qua partim se intelligit poëta.

Illa sui Phoebi violento exarsit amore;
Magnus in ore suo nil nisi Phoebus erat.
Quid mihi, dicebat, juvat astris clarus Olympus
Stelliferique ignes, cum meus ignis abest:
Quid se perpetuo renovans juvat illa juventa,
Cum non Consortem non habeamque torum:
Gaudia sint aliis, mihi sunt haec taedia vitae,
Felix si possim, Daphnis ut ipsa, mori.
Sed quid sollicitor? totus fere novit Olympus,
Quod Deus hic multas deperiisset amans.
Musa licet dicar, jubearque a Pallade, castâ
Et sine fine, eheu! virginitate frui,
Usque tamen tentare licet, non durus Apollo
Dicitur, est Musis deliciosus amor.
Protinus astrifero se vult demittere Coelo,
Quaesitura suum, quo sit in orbe, Deum.
Seque levi tunica veloque recinxit, et ipsas
Pectine nodavit disposuitque comas:
Insuper et quendam desumsit ab Iride fucum,
Quo tinxit niveas officiosa genas.
Sideraque in tunicis dispersa hinc inde locavit;
De Te qui fulges, multa, Trigone! tulit.
De Te quae renites tot stellis, Virgo! venustas
Et bene fulgentes sumsit amicta faces,
Quas circum limbos posuit; nam pulchra videri
Et voluit, credo, quod quoque visa fuit.
Sic ornata polo, nitido descendit Olympo
Et gelidum velox tendit ad Arcton iter.
Accelerat cursum gelidas ferturque per auras;
In tunicis positas vibrat at aura faces.
Tendit et ad Suionas; putat hic quod Apollo lateret,
Frigida quodque suas conderet Ursa faces.
Utque venit, Nympham*) spectat, quae Palladis instar
Corpore sublimis, jam ore renixa stetit,
Mente sua volvens vel se vel fata suorum;
Moestus at indignans Ei quasi vultus erat,

*) Sueciam, sub virginis nomine.

Immotum pandumque tenens in pectore lumen;
Visa suis paulum est lapsa fuisse genis:
Nulla fuit rutilans et acuta in casside crista,
In medio clypei nullaque Gorgo fuit:
Et circum circa non Palladis instar amicta,
Nuda fuit dextro ceu spoliata genu?
Musa venit propius, spectat, vultusque tuetur,
Et sua magnanimis quod sit amica stupet:
Suecia erat: fuerat quae olim tot origo Deorum,
Atque triumphantis Martis amoenus amor;
O mea magna Soror! dixit, quid moesta revolvis?
Dic mihi, si placeat, queis sit Apollo locis?
Una novem Musas inter numeror; meus ignis
Est Phoebus, mihi dic, quae colit Ille loca?
Suecia nil retulit, tacito sed murmure secum
Dixit, in his vellem, o! esset Apollo locis!
Ora tamen solvit post multa silentia, dicens,
Quam vellem ut nostris esset Apollo locis!
Et tacuit sensitque: sed indignata Camena
Hinc retulit tanquam fulmine tacta pedem:
Adque Arcem et celebrem tantis Heroibus Aulam
Tendit, ibi certo quod sit Apollo putans.
Limina cum pedibus tangit, nova limina, mirum!
Atque novum Sceptrum vidit, eburque novum:
Ancipites vultus, tacitos mistosque susurrus
Audiit, et gravibus murmura mista sonis.
Omnia fulgebant auro; sed nullus Apollo
Hacce nova Nymphae visus in arce fuit.
Unus et alter erat, qui obliquo lumine spectans
Parnassin, statim pulchra quod esset, amat.
Sed fugit hinc Virgo dicitque, haec Curia forsan,
Prout olim, Phoebum Numen habetque meum.
Illuc flectit iter, medioque huc inspicit ore,
Janua fortuito semiaperta stetit:
En! videt hic Proceres circum circumque sedentes;
Horum oculis quemvis ordine lustrat avens.
Spectat Apollineus tegeret quod tempora ramus
Magnatum, ast foliis pallida laurus erat.

Nympha dolet plangitque sinum, clamasset et alte
Paene, inque his quod non esset Apollo locis;
Quid faciet, retrahit vultum, mandatur abire
Musa, et confestim janua clausa fuit.
Hinc vaga per terras fertur; jam tendit ad austrum
Jam quoque ad ortivos solis euntis Equos;
Nec procul hinc gentem vidit cognomine Moscam;
Quae nova quaeque fuit non sibi visa prius.
Cujus et in medio visa est nova turba Deorum,
Mars novus ore tumens et nova Pallas erat;
Atque novus gelidae surgens e Balthidos undis
Neptunus, Boreis concomitatus aquis;
Quem circum Nereis duxit numerosa choreas,
Et Nais quassavit terque quaterque pedes.
Turbaque mista diis magnos imitata triumphos
Est, quales quondam, Caesar Jule! Tuos.
Sed quia nescivit novus an genuinus Apollo
Esset in his populis, hinc Heliconis abit.
Itque per ambages, sequiturque volumina Rheni,
Quoque suas sinuat discolor Albis aquas;
Error at est vanus, frustra est quaesitus Apollo;
Quo quaerit magis, hinc ardet amore magis.
Teutonicas et adit Nympha haec Erratica gentes;
Casu et Brunswicam, noctu fluente venit;
Mane toro surgit, mediam partemque fenestrae
Vix aperit, geminos dum videt Illa Duces:
Castor[1]) erat Polluxque[1]), sedet sublimis uterque
Frater[1]) in auratis solis ad instar Equis[2]);
Celsaque Majorum vestigia pressit[2]) uterque;
Nomine et Ingenio clarus uterque fuit.
Non procul a fraenis stat Vir Venerabilis *) unus,
Sublimis micuit cujus ab ore vigor.
Inque illo multum figit sua lumina Nymphe,
Nescia quis sit, num forsan Apollo suus.

---

[1]) Duces Brunswicenses. [2]) Insigne ducum.

*) Apollo poëtae sive comes de Wellingk.

Cum loquitur, sublime loqui miratur, in ore
    Vera velut Pallas vel et Apollo fuit.
Cum vellet suadere, oculis micat ignis, et ipsa
    Prodire ex vultu paene juventa cupit.
De Proavis Fratrum, Genero, clarisque Nepotum
    Fatis, de Imperiis multa loquela fuit.
Ut videt hunc Parnassis amans, rubor occupat ora,
    Plurimaque in toto corpore vena micat;
En meus exclamat tantum quaesitus in orbe
    Phoebus adest; utinam sit quoque noster amor!
Dumque stupet, tunica stellisque venusta videri
    Dum cupit, en penitus sideris orba fuit;
Plane ceu Phoebus, dum mane resurgit in axem
    Extinguit stellas Coelicolumque focos,
Sic quoque cum Nymphae clarus spectatus Apollo
    Est, decor ei periit sidereusque nitor:
Sed ruit usque foras, omnisque oblita decori
    Et vult ad Phoebi flexilis ire genu;
Quid deceat faciatque sui obliviscitur, ardor
    Tantus erat, vocem praecipitabat Amor;
Atque O! clamabat, tantum quaesite per orbem
    Phoebe! mihi dicas, si meus esse velis.
Suasit iter violentus amor, hinc lapsa per auras
    Ad Temet volui non nisi ferre gradum:
Si mihi, Phoebe! neges, cum sim Parnassis, amorem,
    Quid mihi amaturae longa juventa juvat:
Da potius moriar, juvenique extinguar in aevo,
    Vel da non juvenis simne puella magis.
Ridet ad haec Phoebus et dicit, habeto quod optas;
    Illico mutatus prodit ab ore sonus,
Voxque ei fit grandis puerique imitata loquelam:
    Longaque quae fuerat fit brevis ipsa coma:
Asperiorque parum fit vultus; uterque mamillae
    In pectus retrahit se recipitque tumor;
Et coit inferior pars corporis; itque stupetque
    Cum se alia ex verso sentit habere viro:
Fitque puer juvenis, nec quid de virgine restat,
    Quam, quod amavisset, jam veneretur amans

Fitque sui Phoebi famulus; Tibi Suecia Virgo!
It narraturus, nunc quod Apollo venit.

Apollinis sui

Brunsvik d. 27. April 1722.

humillimus famulus

E. S.

IN PRAECONIUM INVENTIONIS TYPOGRAPHIAE.

Lipsiae 1740.

Artis, quae format non ore, sed aere loquelas,
Dum laudes rursus Lipsia docta colit:
Heic laudes celebrem simul inventoris, at illas
Tot nequeo numeris, quot meruisse scio.
Quis fuerit? quaeras, non Gallus, Belga nec Anglus,
Testibus at liceat credere, Teuto fuít.
Schaefferum docuit Faustus, sed primus utrumque
Guttenberg, hujus munere praela vigent.
Nascitur ex rivis unde est fons Palladis, exque
Praelis et numero, fons quod abinde fluat.

NOTAE EDITORIS.

Ludus — 1841. inscripsi pro Ludus Heliconius, sive Carmina miscellanea, quae variis in locis cecinit Eman. Swedberg, (Swedenborg.) Editio altera, emendata et locupletata. Holmiae, Ex Officina Caroli Deleen. 1826.

Variantes harum Editionum Lectiones.

Pag. 8. l. 2. infr. geminantur legi pro geminatur.
— 10. l. 12. Cultorem pro Cultorum.
— 11. l. 22. quid pro quid quid; l. 25. vetabat pro vetebat.
— 15. l. 12. amet pro amat; l. 25. Tibi pro Sibi.
— 18. l. 34. choreas pro choreäs.
— 19. l. 4. faciet pro facies; l. 10. efferretur pro effereretur.
— 25. l. 5. dictam pro dicta.
— 25. l. 8. mortali pro mortale.
— 26. l. 22. suo pro sua.
— 27. l. 4. elicis pro elicit.
— 28. l. 15. Discimus pro Discimur.
— 30. l. 15. Tua pro Tu.
— 38. l. 21. orbem pro urbem, ut l. 9.

Paene pro Poene p. 32. l. 6. infr. p. 37. l. 2.

Colon fixi loco puncti p. 28. l. 9. post opus.

Comma adjeci p. 3. l. 2. infr. post duobus; p. 4. l. 26. post unda; p. 7. l. 15. post ver; p. 14. l. 31. post arbore; p. 15. l. 9. post fugis; p. 16. l. 8. post repetit; p. 22. l. 5. infr. post Deam.

— posui loco coli p. 29. l. 2. infr. post favillis.

— loco signi interrogationis p. 16. l. 14. post Puellae.

Signum exclamationis posui loco signi interrogationis p. 36. l. 16. 18. post locis.

— interrogationis posui loco puncti p. 7. l. 26. post iter; p. 16. l. 15. post jocis; p. 17. l. 2. post ebur; p. 28. l. 1. infr. post pedes.

L. ANNAEI SENECAE
ET
PUB. SYRI MIMI
FORSAN ET ALIORUM
SELECTAE SENTENTIAE.

QUAS

NOTIS ILLUSTRATAS EDIDIT

EMANUEL SWEDBERG
(SWEDENBORG).

AD FIDEM

RARISSIMAE EDITIONIS PRINCIPIS ANNI MDCCIX.

DENUO PUBLICI JURIS FECIT

ET

FRAGMENTA NUPER REPERTA

ADJECIT

D[r] J. F. EMANUEL TAFEL,
REGIAE UNIVERSITATIS TUBINGENSIS BIBLIOTHECARIUS.

LONDINI,
APUD WILLIAM NEWBERY, CHENIES STREET,
BEDFORD-SQUARE.
TUBINGAE
IN BIBLIOPOLIO ZU-GUTTENBERG.
1841.

Q. B. V.

L. ANNAEI SENECAE

ET

PUB. SYRI MIMI

FORSAN ET ALIORUM

SELECTAE SENTENTIAE

CUM

Annotationibus Erasmi

ET

Graeca versione Jos. Scaligeri.

QUAS

CUM CONSENSU AMPL. FAC. PHILOS.

NOTIS ILLUSTRATAS

Sub PRAESIDIO

VIRI AMPLISSIMI

MAG. FABIANI TOERNER,

PHILOS. THEORET. PROF. REG. ET ORD.

PUBLICO EXAMINI MODESTE SUBMITTIT

Emanuel Swedberg,

IN AUDIT. GUSTAV. MAJ. D. I. JUNII
MDCCIX.

UPSALIAE,
EX OFFICINA WERNERIANA.

Q. B. V.

L. ANNAEI SENECAE

ET

PUB. SYRI MIMI

FORSAN ET ALIORUM

SELECTAE SENTENTIAE

CUM

Annotationibus Erasmi

ET

Graeca versione Jos. Scaligeri.

QUAS

CUM CONSENSU AMPL. FAC. PHILOS.

NOTIS ILLUSTRATAS

Sub PRAESIDIO

VIRI AMPLISSIMI

Mag. FABIANI TOERNER,

PHILOS. THEORET. PROF. REG. ET ORD.

PUBLICO EXAMINI MODESTE SUBMITTIT

Emanuel Swedberg,

IN AUDIT. GUSTAV. MAJ. D. I. JUNII
MDCCIX.

UPSALIAE,
EX OFFICINA Wernerianae.

PARENTI LONGE CARISSIMO,

DOMINO

JESPERO SWEDBERGIO,

S. THEOLOGIAE DOCTORI,

ET

Dioeces. Scarensis EPISCOPO Inclyto,

Devoto mentis et omni observantiae cultu semper prosequendo.

Ut in communi vita sanctius nihil est, nihil etiam jucundius, quam majorum parentumque nostrorum vestigia, praesertim, quae nos per virtutis tramitem ducunt, non venerari modo, sed et grata imitatione, quousque licet, sequi: ita et ego non mediocrem sensum et voluptatem, ex hoc mihi nuper injuncto labore, eo imprimis nomine percipio; quod primitias et ingenii primordia, in Paterni operis similitudine, ponere; a prima aetate in facta Genitoris crescere; et Te, Parentem tam scriptis, quam animo referre liceat. Quam laetitiam intra pectora, inque sinu conceptam, ut in publicum prodam, non opportunior mihi exoptari potuit occasio, quam cum ipse possis, praesens et oculatus, genium, et vestigia olim Tua, nunc vero in filio recentia, agnoscere; quam cum ipse et optatus et favens, intersis studiorum praeludiis, quae in amplexu et gremio Tuo succreverunt, quotidie foventur et in dies adolescent. Accipe ergo, propitia fronte, officiosum hocce animi mei pensum, et debitum obsequii vectigal; accipe hoc e beneficiis Tuis enatum quasi munus, quod non aliunde decus suum habere potest, quam ex Te, Optime Parens! quem ut auctorem, ut satorem suum, grate heic praefert et veneratur. Daretur utinam spatium, quod mihi in beneficia Tua, optime Ge-

nitor, excurrere cupienti sufficeret, in Tua sane merita, nullum non laudum, in laudes, nullum non operae, inque operam denique nullum non vigiliarum exsomnium studium insumerem; verum cum beneficia, tacita filii veneratione et obsequio agnosci, quam publica voce et praeconio celebrari malis, in his etiam Tibi obtemperaturus, ad ea, quae sola mihi supersunt, vota nimirum, et piissima oris supplicia ac libamina, confugiam; eoque ardentius, quod nusquam fere magis me ad limina coeli supplicem venire, adque genua Omnipotentis submissius accidere, oporteat, quam cum Tua res, Tuaque salus, dulcissime Pater, agitur. Primum itaque DEO Ter Opt. Max. submissas ago grates, quod aetatem Tuam ad hunc usque diei articulum, benigne et feliciter nobis transmiserit; quod Tibi huc usque gratissimam lucis, et Tui nobis usuram clementer indulserit: Deinde, quia aetas Tua majoribus provecta passibus vergere incipit, curae et clientelae ejusdem Summi Numinis senium Tuum et indeflexam dierum Tuorum maturitatem, atque senilis gravitatis insignia, niveam comam et seniles rugas, ego cum multis aliis solliciti committimus et concredimus. Vive ergo ad vota, imo supra omnia vota diu et felix; vive et exporrige ultra nostra funera aevum Tuum. Tandem est, ut cum Romanis exclamem:

De nostris annis Tibi Jupiter augeat annos

Tuus

Carissime Pater

Obsequentissimus filius

EM. SWEDBERG.

AD

Praecellentis ingenii Juvenem,

D^N. EMANUELEM SWEDBERGIUM,

Generis claritudine ac eruditionis gloria maxime conspicuum.

Cum in

MIMOS PUBLII SYRI

publica dissertatione commentaretur.

ΈΝΔΕΚΑΣΎΛΛΑΒΟΝ.

Πρωθήβη γόνε ποτνίοιο Πατρὸς,
Καὶ Μουσῶν θάλος εὔγλαγον φιλαύλων,
Ἔνδοξ᾽ ὄκκα σὺ μιμέῃ Τοκῆος
Ἴχνη, καὶ νέος ἄρχεαι παλαιῶν
Χρηςῶς γράμματα ἐκδιηγέεσθαι,
Κ᾽ αὐτοῖς φῶς ἐπιθεῖναι ἠΰ χ᾽ ἡδύ·
Τύνη κ᾽ ὠφέλιμος, πέπεισμαι, ἀνὴρ
Ἔσσῃ εἰσέτι, κ᾽ εἰν τὶν αἶα κοινὴ
Καὶ Χριςοῦ κτέαρ, αἵ τε Μοῦσαι ἱραὶ
Ἐλπωρὴν χρυσέαν λίαν σχέθουσιν·
Ἧδ᾽ ἥκις᾽ ἀπατᾷ· ὃ μιμίαμβοι
Τρανῶς ΠΟΥΒΛΙΟΥ ἰθέες ΣΥΡΟΙΟ
Νῦν δηλοῦσι, τεοῖσιν ἐξιόντες
Αὐτοὶ γράμμασιν ἔκθετοι· Ἀπαρχαῖς
Ταύταις βέλτερος ἕψεταί γε καρπὸς
Καὶ χάρμ᾽ ἀγλαὸν ἠμὲν ἔμπεδον τῆς
Ζωῆς εὖχος, ἕως μόροιο πικροῦ.
Αὖθις, δ᾽ ἶφι, καθὼς ἔθεις, πορεύου!
Σοῖς λῇ, φίλε, πόνοισιν· Ὑψίθωκος
Τοῦ παντὸς βασιλεὺς παρῆμεν αἰέν!
Τοὶ, ΣΦΕΔΒΕΡΓΙΑΔΗ ποθεινὲ, οὕτως
Ἰθείῃσι σὸς εὔχομαι φρένεσι

Ῥυζηλιάδης.

LECTORI.

Antequam ad aureum hoc sententiarum opus, animum et calamum adplicarem, operae pretium esse putabam, de Archimimi nostri vita et scriptis, deque mimorum natura et constitutione, et de operis Publiani variis editionibus, quaedam praefari; ut eo ipso mimographo nostro lucem foenerarer, et sic majus ipsi pretium et prolixiorem gratiam conciliarem: sed varias ob causas, iniquis temporis spatiis disclusus, non haec solummodo intermittere, sed etiam, quo minus ad umbilicum et coronidem, ut ajunt, Syrum perducerem, in ipso sententiarum ejus medio, terminum et metas velut figere, coactus sum: Quin et, ob easdem causas, utilissimam curam, de Syriacae versionis convenientia cum textu Graeco, in opportunum magis tempus distuli; ne opus, quod subactum et exasciatum ingenium, multumque olei et lucernae, ut dici solet, postulat, publico immaturius sisteretur; et velut enatum vix examen evolaret. Hinc etiam non miraberis, Candide Lector! si et auctori nostro et tibi parum pro voto satisfecerim; si aliquibus in locis, Publius noster, impolitus et illimatus ac sine censoria manu prodeat; saepius enim remoram, imo taedium nobis injecit sententiarum ejus succincta nimis et circumscripta dictio et brevitas; quae tamen vitio ipsi non vertenda est; quippe in delitiis habuere Romani adstrictos ejusmodi et abscissos Pantomimorum sales, qui aculeum in spectatorum animis altius infigerent, et diutius tenerent: Oratio enim, quae materiam et aures undiquaque implet, et cuncta vela expandit, ac toto velut ingenio vehitur, citius oblivioni et ventis traditur. Stoicorum etiam proprium erat, summa tantum rerum fastigia carptim attingere, vel, ut Lipsius, sermonis et sectae ipsorum scientissimus, non gladiis, inquit, sed pugiunculis rem gerere solebant. Si in laudes mimographi nostri mimorumque copiosus irem; haud aliter sane foret (ut verbis utar b. Norrmanni) ac aurum obryzum et praecandida margarita floribus insuper et pigmentis exornare, hoc est, quod lepidissime Comicus ait, una opera ebur atramento candefacere postules. Sufficiat in laudes ipsius dixisse, adamatum fuisse Caesari ac Populo Romano; et post ejus et aureae aetatis fata, plurimos ingenii ejus admiratores et cultores exstitisse; quorum de ipso amplissimae exstant laudes, quas pu-

tares de Arpinate potius dicendas, quam de Theatrico quodam artifice: unde Petronius Arbiter; Quid putes, ait, inter Ciceronem et Publium interesse? ego alterum puto disertiorem fuisse, alterum honestiorem. Testimonia de eo vide Sen. ep. 8. et 9. et 94. bis; et 108. De Tranq. An. II. de consol. ad Mar. 9. de Brev. V. 2. Controv. lib. 5. cap. 18. lib. 7. cap. 5. Gellius Noct. Att. 17. cap. 14. Macrob. lib. 2. Saturn. cap. 2. et 7. Hieron. in Chron. Euseb. ad Olymp. 184. ann. II. praeter recentiorum plurimos. His inductus non inanem operam videor locasse, in explicandis iis, quae toties acutissimis ingeniis perplacuere, et in quibus viri de literato orbe meritissimi insudarunt, ut Joseph. Scaliger, Erasmus, Marcus Sartorius, Barthius, et iteratis vicibus Janus Gruterus; cujus nupera editio cum nova Jos. Scaligeri versione locupletata, publicae luci feliciter servata est; quae quia serius in manus meas pervenit, in eos tantum mimos notulas adornavi, qui sub Scaligerano delectu prius prodiere; qui vero posteriori ejus cura, prioribus additi sunt, heic etiam adjeci. Quid nunc praestiterim vestrum erit, Lectores! judicium: hoc mihi tantum de meo possum vindicare, quod ex quibusdam auctoribus sententias has passim interspersas, exsculpserim; ut subactiorum judicio sisteretur, num Publii vel alius sint; cum adhuc sub judice lis sit, quaenam ex iis Publium, quaenam Senecam, Lucilium, Laberium aliumve auctorem agnoscant.

Theatrici hi joci cum Caesarum non modo, sed et principis populi favorem et plausum toties captarint: nec ipse animi dubius sum, optimi Lectores! quo minus ob eundem et vos coeptis meis non annuatis modo sed et faveatis: Nec indignabor, si quibusdam displicuero, cum perplurimi sint iis animalculis simillimi, quae rictum diducunt et bilem evocant, non excitante ullo sed ex more tantum; unde et is merito laudatur, qui pessimis illis sannionibus displicet. Verbo, ad honesta vadenti contemnendus est omnis contemtus. Senec. ep. 76.

P. SYRI SENTENTIAE.

A morte semper homines tantundem absumus.

Θανάτου τοσοῦτον ὑςεροῦμεν οἱ βροτοί.

A morte semper) Non est sententia, sed quemadmodum illud: digitis a morte remotus quatuor aut septem: Hoc qui dicit in Mimo, gestu digitorum id ostendebat. Igitur sola verba non possunt mentem hujus versus concipere, nisi adjuventur gestu. Haec Scaliger: qui ad histrionicum motum et gesticulationem alludit, qua theatralem consessum in prosceniis et orchestra, artifices hi scenarii et ludiones oblectabant; quod imprimis ludicra fiebat superciliorum remissione et contractione, atque edocta articulorum agilitate: unde Aurelio Cass. manus ipsorum loquacissimae et digiti linguosi vocantur; et Cl. Claudian. de cons. Manlii Theod. Mimus dicitur nutu manibusque loquax. Senec. ep. 121. Parata illorum manus in omnem significationem rerum et effectuum. Liv. lib. 7. c. 2. et Gron. ib. ad manum cantari. Quasdam hinc oriundas de morte paroemias subnectam; quibus plus gratiae inerit, si eas ad vivum, gestu, vultu, voce expresseris, quam si eloquio tantummodo stiteris; ut; ne latum unguem, ne pedem, passum a morte distare I Sam. 20: 3. eam umbrae instar sectari, esse punctum, palmae mensuram, curriculum, mimum, siparium; lineas admoveri; peracta est scena: et alia, quae *δεῖξι* histrionica fortius exprimi possunt. Sed cum arte mimica nihil nobis nunc rei esse et digredi a Publii mente laudatum modo Scaligerum, licet forte ex Annaeo conjicere, qui hanc velut *γνώμην* sententiis suis inspersit: et ad verbum ep. 30. f. et alias crebrius nostri ingenio delectatus recoluit, ut ep. 120; tantundem (inquiens) in mortem singuli (dies) conferunt. Ite-

Ab alio exspectes, alteri quod feceris.
Ab amante lacrymis redimes iracundiam.

rum Quaest. Nat. 6: 1. mors ubique tantundem est. Mens itaque Publii erit; a morte mortales aequis distare passibus; et metam ejus nusquam dimoveri, si vel maxime timore ejus discruciemur et expallescamus. In puncto fugientis temporis pendentes si transmissam aetatem cogitemus, a morte eam teneri; si transmittendam, fatebimur; nihil interesse inter tempus exiguum et longum. Senec. Quaest. Nat. 6: 32. Tempus, aut potius vita nostra punctum est Senecae: nam id, quod adest, nostrum est: praeteritum et futurum, quia non adsunt, mortis sunt potius, quam nostra. Atque in hoc puncto constituti, tantundem semper absumus a morte, quae et ante est, et post. Pulchra sunt illa Ciceronis de finibus bon. et mal. p. m. 48. Mors quasi saxum Tantali, nobis semper impendet; et Tusc. 1. Undique ad inferos tantundem viae est. Quare monet Publius noster, oportere nos sic nostra componere, ut ad migrandum quotidie vivamus parati, et omnem diem velut ultimum ordinemus.

Ab alio exspectes) Erasmus: Qualis fueris in alios, tales alii futuri in te. Gruterus legit: ab alio spectes. Mavellem huic confine, speres; ut sententia haec in exeso tumulo Romae legitur, teste Camer. cent. I. med. 98, 99: ni faveret Scaligeranae Sen. ep. 94. ubi eam quasi cum ictu auditam confirmat. In Brisson. p. m. 700. lib. 7. non absimilem clausulam cippo cuidam insculptam notabis: Quod quique vestrum optaverit mihi, illi semper eveniat; quod feceris, et tibi alius faciet. Sensus cuivis est obvius; est enim bifrons, respiciens actorum agendorumque prudentiam; tangit maleficos et beneficos. Confirmatur verbi hujus veritas exemplis parricidarum, malignorum etc. ut ex historia constat de Julianis percussoribus, Galbae, Gordiani, Darii, quorum pauci sua morte defuncti sunt: de Hamane res est notissima, adi Richt. Ax. Pol. 119. Hist.

Ἔλπιζ᾽ ἀπ᾽ ἄλλου τοῖον, οἷόν σφ᾽ εἰργάσω.
Ἐρῶντος ὀργὴν δακρύοις παρηγόρει.

159. Oecon. 28. et videbis necis artifices arte perire sua. Gruterus in nova sua editione Mimum exornat Caesaris, Atheniensium, Hermotimi, Jasonis, Saturni, Zelae regis Bithyniae exemplis. Quem, quaeso, latet justitiae fundamen et legum palmarium quasi praeceptum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, de quo videsis Lact. 6: 3. estque divini juris *γνώμη* Matth. 7: 12. Grot. ib. Luc. 6: 31. Tob. 4: 16. et a Marco Aurelio ut oraculum culta, ut Lamprid. in ejus vita; et impense Alexandro Severo adamata, ut Spart. p. 198. Hinc et adagiales sermones, Termeria mala; Eodem libare poculo: Neoptolemi vindicta. Sibi parat malum, qui alteri parat.

Ab amante) Erasmus: Amans iratus lachrymis placatur. Non praetereunda est redimendi vox captorum nexorumque redemtioni peculiaris, vide Sen. de ben. 6: 13. Transfertur etiam ad alia: ut redimere mortibus animam, de clem. 1: 3. verba de ben. 4: 36. virtute crimen Quaest. N. 6: 23. tempestates munusculis 4: 7: periculo periculum Cons. ad Hel. 17. Si vocem velis ad antiquum nuptiarum ritum flectere, ubi coëmebantur vel emebantur conjuges, vid. Bris. in form. item Taubm. et Serv. in Virgil. Georg. 1: 31: sensus erit, amantes mutua redemptione gratiam distractam lachryma resarcire. Scilicet amatores leviter subinde obirasci, testis est Tacitus: in amore et ira sunt jurgia, satisfactio. Aliquando tamen solito commotiores sunt, ut Dejanira in Herc. Fur. Magnus, (inquit) dolor iratus amor est: Sed actutum residet; nam quae modo pugnarunt, jungunt sua rostra columbae. Ovid. vel conficta quadam lachrymula Ter. Eun. I: 1. Apposite ergo comparantur jurgia amantium scintillis, quas aquae guttula restingues: ut quoque conferuntur cum crepitu ligni, vel risu Vulcani (quem et Vestae minas dicimus) qui levi humore obmutescit. Tu vero fuge blanditias sedulo insidiantium, virosque venantium

Absentem laedit, cum ebrio qui litigat.
Ad calamitatem quilibet rumor valet.
Ad poenitendum properat, cito qui judicat.
Ad tristem partem strenua est suspicio.
Adulter est uxoris amator acrior.
Aes debitorem leve; grave, inimicum facit.

muliercularum, et una iram et dolorem, pedissequas earum vitaveris.

Absentem laedit) Scaliger: ad verbum esset: *τύπτεις ἀπόντα τῷ παροίνῳ συμπεσὼν* aut *συμπλακείς*. Sed *ἑλληνικώτερον* est *σκιαμαχεῖν*. Erasmus: mens ebrii non adest, cum qua loquendum est, itaque perinde est, ac si non adesset ipse. Planipes noster heic cothurnis incedit; simile quid de irato infra; homo extra corpus est suum, cum irascitur; similes sunt curribus, quibus aurigae excussi sunt, fatente Grutero, qui arguto sale ebrietatem et cum ebriis litigia et verbera perstringit. Absens judicatur, quia mens ejus in poculis mersa est, quia sensus victi vinctique sunt; unde Pisistratus oculos eorum velut obligatos dicit Sen. de Ira 3: 11. Quare priusquam ad se redeunt temulenti isti errones, noli eos emendare, quum surdis fabulam sis narraturus.

Ad calamitatem) In diversum tendunt Erasmus et Scaliger, duo quondam orbis eruditi lumina, sed coibunt interpretando: ille, tristia facile sparguntur in vulgus: quae recta sunt et honesta, vix creduntur. Hujus vero translatus sensus est: praesumtam opinionem apprime ad calamitatem valere; explorati juris est, subinnui a Publio quaerelas et facilem eorum suspicionem, qui duro fato premuntur; quorum omnes magis sunt, nescio quomodo suspiciosi etc. Ter. Adelph. 4. 3. 14. et sane ad deteriora credenda magis proclives sumus mortales, quia ipsi mali sumus, et mala meruimus.

Ad poenitendum properat) Scaliger: de nuptiis Graecus quidam dixit, quod mimus no-

Ὁ τῷ παροίνῳ συμπεσὼν, σκιαμαχεῖ.
Δεινὴ τὸ δόξαι πρὸς τὸ δυςυχὲς ῥοπή.
Κριτὴς σφαδάζων εἰς τὸ μεταμέλειν τρέχει.
Πρόθυμον εἰς τὸ χεῖρόν ἐσθ' ὑποψία.
Ἰδίας γυναικὸς μοιχός ἐς' ἐρῶν ἄγαν.
Χρυσᾶ μικρὸν δάνεισμα μέγαν ἐχθρὸν ποιεῖ.

ster de propero judicio: *γαμεῖν ὁ μέλλων εἰς μετάνοιαν ἔρχεται.* Erasmus: ne statim pronunties; nam praecipitati judicii saepe poenitet. Non de iis solum judicibus sermo est, qui circa reos occupati illico, cum cognoverint, statuunt, pronuntiant, animadvertunt; de quibus exempla sunt in Camer. hor. suc. 3. med. 23. 24. adde, quae Loccen. de Erico XIV. p. 392. 397. Sed dictum est etiam in urbanos illos sanniones, vitae alius censores et circumforaneos momos ac zoilos, qui tamquam selecti arbitri cujusvis mores et famam suggillant et traducunt; et hi quoque praecocis judicii poenam dabunt. Luc. 6: 37, 38. Matth. 7: 1. Morh. Polyh. p. 168.

Ad tristem partem) Erasmus: Qui parum sunt felices, magis laborant suspicione, vel sic: suspicio plerumque vergit in partem deteriorem: strenua, hic citam et propensam significat. Hinc et Sen. in Herc. Fur. v. 316. prona est timori semper in pejus fides. Mimus desertior est quam ut adjuvandus: vide huic cognatum, praeced. 5.

Adulter est ux.) Scaliger: eadem facetia, sed alio modo de Othone Imp. Uxoris moechus coeperat esse suae: nihil urbanius potest et hic et ibi dici. Sufficiet de conjugum hoc amore Plutarchi scitum: quod si ad eum moveat concupiscentia, non convenienter amor vocetur. Amat. p. 750. m. et Xysti Pythag. §. 222. adulter est in suam uxorem omnis impudicus amator ardentior.

Aes debitorem leve) est Publii vel Annaei, vel utriusque; totidem exstat verbis ep. 19. f. Quidam, quo plus debent, magis oderint: leve aes alienum debitorem facit, grave inimicum. Exigui aeris

Aliena nobis, nostra plus aliis placent.
Alienum aes, homini ingenuo acerba servitus.
Alienum est omne, quicquid optando evenit.

debitum praeter sartam et integram amicitiam etiam animum creditori oppignerat; vicissim qui nimis sunt obaerati, quia solvendo non sunt, variis artibus allaborant debitum eludere, inficiando, dissimulando, supprimendo, et saltem minuendo differendoque; quo si adducere rem nequeunt, inimicissimos experieris. Hoc etiam sic extulit Tacitus Ann. 4: beneficia usque eo laeta sunt, donec exsolvi posse videntur: ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur. Huc referas et illud Plauti, Trin. 4: 3. 49. talento inimicum mihi emi, amicum vendidi. adde Sen. ep. 81. et Sirac. 29: 8. seq.

Aliena nobis, nostra) Sapiens monitum, et quod oporteret esse quotidianum. Erasmus: alienum et nostrum unitatis numero legit. Suae quemque sortis poenitet: aliena miramur verbis duntaxat. Ceterum si ad rem ventum sit, pauci velint cum aliis commutare. Citat hunc versum Salvianus p. 10. sed nomen auctoris non addit; Rittersh. in notis, Syri esse agnoscit, et elogium ejus addit p. 47. Est autem desumptum ex Ter. act. 1. sc. 3. Phorm. vide Gruterum. Paucissimi sunt, qui hunc scopulum indemnes praeternavigant; quippe nulli ad aliena respicienti, sua placent. Sen. de Ira 3, c. 31. Pauperis casam, quietem, mensam depraedicat dives: villicus rustici: caelibem vitam laudat uxoratus: militi toga placet, togato sagum; megistanes curas saepe suas exsecrantur; institores de dubia negotiandi alea et mercium vilitate queruntur: et universim omnes, priscos mores, ingenia, pugnas, et atra caligine mersa emiramur et veneramur: ut si reliquias veteris memoriae, si semesa saxa, tabulas situ et senio squalentes, mucidas membranulas et carie erosas; si Codri monetam, Pellenaeam tunicam, muscosa rudera, si antiquiora, quam chaos et Saturnia se-

Ἄλλους ἀρέσκει τἀμὰ, καὶ τὰ τῶν δ' ἐμέ.
Ἐλευθέρῳ δάνεισμα δουλείαν φέρει.
Ἀλλότρι' ἐςὶν ἅ 'ξέβη ποθούμενα.

cla offendimus, vel fando audimus; quam quaeso ista suspicimus, colimus, ambimus? cum tamen recentia cum iis non certent modo praestantia, sed palmam saepe praeripiant. Sed credo tamen, sic volvere Parcas, ut sequens aetas vicissim nostrae cultrix evadat. Interea nos doceat Mimus noster, non tam rebus inesse vitium nostris, per quod displiceant, quam nauseanti quasi ad omnia animo. Hic ita temperandus est, ut quum res nolint animo, velit animus rebus se accomodare: sic poteris eodem vultu humiles habitare casas et superba fastigia palatii: cogita, inquit Seneca ep. 8, in te praeter animum nihil esse mirabile, cui magno, nihil magnum est.

Alienum aes homini ingenuo) Scaliger: vel *δουλοῖ δάνος σὲ, κἂν ἐλεύθερος πέλῃς*, vel *ἐλευθέρῳ δάνεισμα δουλείαν φέρει.* Sed Graecus vetus est versiculus: *τὰ δάνεια δούλους τοὺς ἐλευθέρους ποιεῖ.* Erasmus: aliis servire durum est ei, qui liber sit natus et aliis imperare solitus. Sed autographon ejus, aliena homini, habet. Nobis arridet Scaligeranum: citatur a Zving. p. 632. Vult enim excalceatus noster mulcere minutae plebis aures, quae toties aeri optimatum innexa, divulso velut a capite corpore, ab urbe secessit. Etiam artificis nostri herus semet expilatis Gallis, accepto vix exsolvit; ut Sueton. in ejus vita. Non aliud servitii genus est gravius, quam toties erubescere, fugitare, perfricare faciem, supplicem agere, digito notari, rogari solutionem, quod cautum sub pignore, chirographo et hypotheca, eludere; ludibrio factum nomen, parariosque exponere; et quae plura servitutis genera subeunda sint.

Alienum est omne) Erasmus: Id, quod nostro studio paratur, vere nostrum est: quod votis contingit, alienum est: nempe quod fortuna

Alterius damnum, gaudium haud facias tuum.
Amans iratus multa mentitur sibi.
Amans quid cupiat, scit: quid sapiat, non videt.
Amans quod suspicatur, vigilans somniat.
Amans, ita ut fax, agitando ardescit magis.
Amare et sapere, vix Deo conceditur.
Amare juveni fructus est, crimen seni.
Amantis jusjurandum poenam non habet.
Amantium ira, amoris integratio est.

possit eripere. Versus, judice Seneca, cothurnatis dignior, quam excalceatis, ep. 8. eoque auctore germanam vocem venit pro evenit Publio assere. Fortuita negat nostri juris esse; et quae votis, i. e. forte et casu veniunt, in dantis sive fortunae, non optantis esse arbitrio, vide Tullium in Parad. 2: 1.

Alterius damnum) Ἐπιχαιρεκακίαν graviter perosi sunt sapientiores. Terent. And. 4: 1. vocat id genus hominum pessimum; et Naso in Trist. 5. 8. de subsannatore merso aequore; nunquam, dixi, justior unda fuit. Tametsi poenis humani fori, divini vero neutiquam eximentur: Prov. 17: 5.

Amans iratus) Infra noster; in amore mendax iracundia est. Characterem irati amoris habes in Phaedria Terentii init. Eunuchi. Audias itaque Propertium: O nullis tutum credere blanditiis.

Amans quid cupiat) Erasmus: Amans sine judicio cupit: nec expendit, salubre sit, an perniciosum, id quod cupit. Sapere hic est, quod conducit, ex usu est, decet: vel juxta Erasmum salubre est. Nostro accinit Propert. scilicet insano nemo in amore sapit; et mimus Gruterianus; in venere semper dulcis est dementia: quo utroque nihil facetius.

Amans quod suspicatur) Erasmus: Qui amant, ipsi sibi somnia fingunt, et inani spe sibi blandiuntur. Quod impense discupiunt amantes, gaudent, se adeptos adepturosve, non sine illusione, ad instar eorum, quibus insomnia phantasmatum et imaginum

Χαρὰν ἑαυτοῦ μὴ ποιεῖν τ' ἄλλων κακά.
'Οργῇ καθ' αὑτοῦ πόλλ' ἐραστὴς ψεύδεται.
'Ερῶν τί λῇ μὲν, οὐχ' ὁρᾷ δὲ τί φρονεῖ.
"Ο φοβοῦντ' ἐρῶντες, τοῦτ' ὀνειρώττουσ' ὕπαρ.
'Ερῶν τιναχθεὶς μᾶλλον, ὡς δᾴς, ἅπτεται.
'Ερᾷν ἅμα φρονεῖν τε κ' οὐ θεῷ πάρα.
"Ερως νέῳ κάρπωμα, γηραίῳ ψόγος.
Ποινὴν ἐραστῶν ὅρκος οὐκ εἰσπράττεται.
"Ερωτος ἀνακαίνισμ' ἐρώντων αἱ μάχαι.

umbrae ipsum exemplar imitantes, imponunt: Virg. ecl. 8.

Credimus, an qui amant ipsi sibi somnia fingunt.

Somniandi vox aliquando denotare videtur ingentia vota, quibus, qui sibi blandiuntur quidvis in omen optati eventus trahunt; ut Terent. num ille somniat illa, quae vigilans voluit; et jocus proverbialis, etiam dormiens somniat, quod et ex Theocr. habet Erasmus in adag. votum. Hujus generis sunt etiam M. Accii: Hic vigilans somniat, in Captiv. et Amphit. nae vigilans somniat. Firmat hunc Ovidius Metam. 6: 492. Qualia vult, fingit, quae nondum vidit. Adde Annaeum in Herc. Fur. v. 315.

Amare juveni fructus) Zving. p. 389. Amor est voluptas in juvene; scelus in sene, non voluptas. Non moror adolescentium amores a gentili vesania admissos, pro quibus Ter. Adelph. I. 2: 20. verba fecit; quum *γνώμη* auctoris de casto conjugum amore sit exponenda. In senibus sicut aetas defloruit, ita amorem defervescere decuit: Ovidius, Veneri quoque convenit aetas; Turpe senilis amor.

Amare et sapere) Frising. codex, a Deo: sed prius tuere. Erasmus: non est ejusdem amare et sanae mentis esse: perinde quasi velis cum ratione insanire, quemadmodum habet Terentius. Amorem sapientissimis ludos et verba facere, non invenuste quidam:

Adam, Samsonem, Loth, Davidem, Salomonem,
Femina decepit, quis modo tutus erit.

Ames parentem, si aequus est; si aliter, feras.
Amicis eo magis dees, quo nihil habes.
Amicitia pares aut accipit, aut facit.
Amicitia semper prodest, amor et nocet.
Amicitiae coagulum unicum est fides.
Amici vitia nisi feras, facis tua.

Ames parentem si) Erasmus: Bonum parentem ama, difficilem tolera, vel ob hoc, quia pater est. Aequus dixit pro commodo et humano. O quam pie, vere, grande? nonne theatrum ad praeceptum tam pulchrum ingeminasset plausus? Tu itaque bonitatem parentum, decenti pietate, amore et obsequio demerere, eo quod ipsis vitam et temet ipsum debeas. Ut Dii ex Philonis mente coli debent, in libro de decal. Agnosces etiam in iis θεῖον quid, unde Grotius ὁ πάνυ eos quasi Deos appellitat. Aristoteles honorem divinum parentibus tribuit, Nicom. lib. 8. c. 14. lib. 9: c. 2. Genitores duros nactus, reverere tamen, cede, tolera; quippe probitas, liberorum obligationem auget, non facit. Imperatores aliosque Latiali sermone, Parentis nomine cultos, norunt et qui Aesopum triverunt.

Amicis eo magis dees) Mimus ut jacet, vix cuiquam extricandus: caliginem vix tribus modis eludimus. 1. Amicis eo minus gratificaris, quod nihil eorum habes, quibus iis inservies; vel 2. juxta Lucanum lib. 8. p. 256. m. Adversis non deesse decet, per laeta secutos; vel 3. si accedas Scaligero: opera amicorum indiges magis, quo magis ipse egenus es. Non sapit acumen auctoris, nec amicitiae licitationi usquam favit. Mimum mendi compertissimum sanas, si legis, quo nihil abest, quod tanto confidentius assero, quod praeeuntem Annaeum sequar de ben. 6: 29: Neminem tam alte secunda posuerunt, ut non illi eo magis amicus desit, quia nihil absit. Et sensus erit argutus, integer, scil. tibi amicorum fides et candor eo magis deerit, quo nimiis rebus affluas, nulliusque opis indigus sis. Monstrabo tibi, quid omnia possidentibus desit:

Πρᾶον φίλει τεκόντα, δύσκολον φέρε.
Ὅσον ἐνδέῃ, τόσον καθυςερεῖς φίλων.
Φιλία λαβεῖν εἴωθεν, ἢ ποιεῖν ἴσους.
Φιλία μὲν αἰεὶ χρηςὸν, ἐπιβλαβὲς δ' ἔρως.
Κόλλημα φιλίας ἐςὶν ἡ πίςις μόνη.
Ποιεῖς ἑαυτοῦ, τοὺς φίλου μισῶν τρόπους.

scilicet ille, qui verum dicat. Sen. de ben. 6: 30. iterum 33, Amicitia non alibi magis deest, quam ubi creditur abundare. Nec ita refictus fastidietur, amicus eo magis deest, quo nihil abest.

Amicitia pares aut) Hic cardo totius amicitiae; accipit, ratione morum, voluntatis, animi: ratione aetatis, sexus, fortunae, infortunii: ratione patriae et gentis, ratione conditiònis et status officiorum: etiam quorundam vitiorum cognatione, ut luxuriae, voluptatis, furti: frustra tamen ob confinium, amicitiae vinculo innectes avaritiam, invidiam, superbiam, iram, vindictam. Facit, si non attendit ad aetatis, conditionis, fortunae, adde et morum discrimen. Audi D. Hieronymum; Amicitia pares aut facit aut accipit; ubi inaequalitas et alterius eminentia, alterius subjectio; ibi non amicitia quam adulatio est, in Mich. Quae palam interpretamenta sunt. Aequalitatem in amicitia Pythagoram, Ciceronem, Apulejum, Senecam et Horatium, Publio nostro impensius, commendare, probat Gruterus in nova sua edit.

Amicitia semper prodest) Et haec comice et argute Syrus. Heic inter amicitiam et amorem discrimen ponit, et indolem utriusque expedit; scil. amicitiam prodesse semper; amorem in amicitia subinde trans limites ire; distinguit quoque inter ipsos amicos Quint. in decl. XV. et Liban. p. 8. Lucem huic mimo L. Annaeus, et huic Publius affudit, ep. 35. Qui amicus est, amat; qui amat, non utique amicus est: itaque amicitia semper prodest, amor etiam aliquando nocet.

Amici vitia ni feras) Quidam codices si feras. Si *τὸ* ni retinendum, fatemur, sive illudi nos perplexi-

Amici vitia noveris, non oderis.
Amicum, an nomen habeas, aperit calamitas.
Amicum laedere, ne joco quidem licet.
Amicum perdere, est damnorum maximum.
Amor extorqueri non pote, elabi pote.
Amori finem tempus, non animus facit.
Amoris vulnus, idem, qui sanat, facit.
Amor misceri cum timore non potest.

tate vocum, sive argutiolas Mimographo perire: sic interpretor tamen 1. Si amico ob vitia succenseas, tuum erit crimen, quod tibi talem elegeris. 2. vel ut Mimus alius habet, peccatum amici, velut tuum recte putes. Nisi haec tibi satisfecerint, pro me sit alius Oedipus. Assurgas, si lubet, libro Gruteri, ut mens sit: Si in amici tui vitiis conniveas et acquiescas, eadem etiam in te derivabis: vel secundum Erasmum: Tibi imputabitur, quicquid peccat amicus, cum non admoneas. Si sciremus ea, quae praecesserint, et quae exceperint hunc mimum, explicatio ejus foret nobis facilior.

Amicum laedere ne etc.) Et hic Comicus poëta, tragicis et comoedis suis certat. Belle carpit licentiam eorum, qui in amicum sales et sine fronte jocos concedi autumant: cum tamen in amicitia prius nihil et antiquius sit, quam ut aperta frons, sermonis candor et usquequaque nudae quasi gratiae praeluceant. Abeant ergo in malam crucem jocularia illa convicia; canina et aconita vomens facundia, qua linguam urbanissimi quidam artifices, dicacem et aculeatam exercent, amicitiamque sollicitant. Diserte b. mem. Norrmannus: erunt sales non ambiguis et mordacibus figuris aut livore et aerugine suffusi: vide sis Morh. Polyh. p. 164. m. etiam in fragmento Senecae subdititio, non est jocus esse malignum. Adi quaeso optimi mei Parentis notas in dist. Cat. 2. 2. et Camer. med. hist. 1: 92. Permisceamus suave officia et admittamus amicos toto pectore: germana enim est sermonis venustas, sistere se

Φίλον μὲν ἤθη γνῶθι, μίσησον δὲ μή.
Τὰ δεῖν' ἐλέγχει πότερα φίλος, ἢ τοὔνομα.
Φίλους δυσωπεῖν οὐδὲ προσπαίζοντα δεῖ.
Φίλον ϛερεῖσθαι ζημιῶν ὑπερτάτη.
Ἔρως δυσεκβίαϛον, ἀλλ' ὀλισθάνει.
Χρόνος ἔρωτ' ἔπαυσεν οὐ προαίρεσις.
Ἔρως ὁ τρώσας αὐτός ἐϛ' ἰώμενος.
Ἔρως φόβῳ πέφυκε δυσμίκτως ἔχειν.

affabilem semper, semper comem, omnibus facilem ac patentem; ut verbis utar ampliss. Upmarckii, quem ut Athenaei hujus lumen reveremur.

Amicum perdere) Tritior sententia et apertior est, quam ut interpretatione egeat. Interim sermo est de amicis, qui fato concedunt, aliove casu abripiuntur: momentaneos vero, qui ob leviusculam offensam discessum parant, amicos neque fuisse tuos dicam: Scal. ep. 111. est forte sententia haec desumpta ex Senecae epist. 99.

Amor extorqueri) Erasmus: Amor non potest subito vique expelli, sed paulatim potest elabi. Amor officiis blande et diu consutus, vi aegre evellitur: ut arbor, acto in terram altius stipite et fibris circum luxuriosius evagantibus, indivulsa stat; licet super eam Eurique Zephyrique tonet domus; accisis vero sensim retinaculis vel senio vitiatis, ruit.

Amoris vulnus idem) Erasmus: Desiderii vulnus sanat idem, qui facit, si sui copiam facit. Allusit autem ad Telephi fabulam.

Amor misceri) Indoles est amoris, ut nil nisi aequum, parile, amabile velit. Principes boni ideo amari, quam timeri maluerunt. Ad hunc allusum est a Sen. Phil. in Medea vers. 416. Amor timere neminem verus potest; expressius ep. 47. ubi de servis loquitur: Non potest amor cum timore misceri. Idem de ben. 4: 19. Nec quisquam amat, quos timet. Sive hunc Senecae imputes, sive Mimo nostro, res arbitrii tui erit.

Amor otiosae causa solicitudinis.
Amor, ut lacryma, oculis oritur, in pectus cadit.
Angusta capitur tutior mensa cibus.
Animi arbitrio, amor sumitur, non ponitur.
Animo dolenti nihil oportet credere.
Animo imperabit sapiens, stultus serviet.
Animo virum pudicae, non oculo eligunt.
Animus aeger, turbae praebet spectaculum.
Animus vereri qui scit, scit tuta ingredi.
Animus hominis quicquid sibi imperat, obtinet.

Amor otiosae) Amantes otiose dicas solicitos, cum nullo honesto opere detinentur; et tamen inquietantur: convenientissime ille apud Plautum, Cist. 2: 1. 8. Ita me amor lassum animi ludificat, fugat, agit, appetit, raptat, retinet, etc. Zving. p. 170. ita hunc citat, teste Grutero, amor otioso c. s. et hunc Rabbelais, ut dictum Theophrasti effert: p. 473.

Angusta capitur tutior) est mimus ad casas spectans. Gruterus cupit in exilium ejiciatur, quod comparet in Senecae Thyeste v. 450. Tutus mensâ capitur angustâ cibus: at si ideo mimos esse negaveris, qui ab illo usurpantur, auctorem nimium circumscribes. Per angustam mensam, non dubiam (Ter.) intelligas, quam non multae ferculorum struices distendunt; et ad quam bellaria non ultra Phasim arcessuntur: sed dapibus quae oneratur inemtis: tutior, quia mortes et venena poculis non subsunt. Ruricolarum vitam ut tutiorem beatioremque a mimographo intellectam pro comperto est: Qui sane mensis suis et strato, humum, sub arcuato siderum contextu, securi describunt, ubi non lautitiarum non divitiarum fastidio nauseant. Sic non curae ipsis inquietissima diademata, purpurae, fora; non circumsonantium strepitus curarum, non querentium et adorantium unda: non aestuant tumidis ambitu animis, non superbis aedibus et illusa auro veste. Quin et in mapalia eorum segnius irrumpunt vitia, quam in munita moeniis oppida; unde et iis Saturnini aevi mores, mensae et pe-

Ἔρως μερίμνης αἴτιον κακοσχόλου.
Ὡς δάκρυ ἀπ' ὄσσων ςέρνον εἰσέῤῥευσ' ἔρως.
Στενῆς τραπέζης ἐς' ἀκίνδυνος τροφή.
Ἐρᾷν ἐφ' ἡμῖν ἐςὶ, παύσασθαι δὲ μή.
Οὐ πιςέ' ἐςὶν οὐδὲν ἀλγούσῃ φρενί.
Θυμῷ σοφὸς ἐπέταξε, δουλεύσει δ' ἄφρων.
Ἄνδρ' οὐχ' ὁράσει, νῷ δ' ἑλοῦνθ' αἱ σώφρονες.
Θέαμα τοῖς πολλοῖσιν ἐς' ἀλγοῦσα φρήν.
Ἄπταιςα βαίνειν οἶδεν εὐλαβὴς τρόπος.
Ὧν οἱ ἐπιτάττει νοῦς, ἐπήβολος κυρεῖ.

nates sunt: verbo, est secura quies et nescia fallere vita. Virg. Georg.

Animi arbitrio amor) Erasmus: Nobis in manu est, non incipere amare. Ubi coeperis, jam illo ipso servus es; nec potes excutere, cum velis. Hoc est quod in eodem argumento Seneca Tragicus in Hipp. 134. Qui blandiendo dulce nutrivit malum, sero recusat ferre, quod subiit jugum. Ut ignem claustris suis domitum, emittere arbitri tui erit; at emissum et circumjacentia depascentem nequicquam saepe cupies restinguere.

Animo dolenti nil) Erasmus: Quamdiu doles, ne quid tibi ipsi fidas. Nihil enim sani suadet dolor. Exspecta, donec residat aegritudo, tum statue, quid velis loqui aut facere. Poëta apposite ancipiti dolendi voce usus est: quia nec lugenti nec irato credendum. Si lubido possidet, ea dominatur, animus nihil valet. Sallust. Cat. 51. Pr.

Animus vereri qui) Erasmus: Qui intelligit periculum, is novit cavere periculum. Temeritas autem periculose rem aggreditur, quia nescit timere. Habent libri alii tuto vel tuta aggredi, sensu non dispari; et cautione opus esse inculcat, quum circumstent undique pericula et mortes, quas incurres, nisi vitae tuae timueris.

Animus hominis quicquid) Est sententia Stoi-

Annosus non diu vixit; diu fuit.
Anus, cum ludit, morti delitias facit.
Aperte mala cum est mulier, tum demum est bona.
Arcum intensio frangit, animum remissio.
Ars non ea est, quae ad effectum casu venit.

cae altitudinis. Dixere enim animum corporis ducem; invictum: Deum hospitantem in humano corpore, a sideribus in corpora nostra transfusum, comitem coelestibus euntem; eidem nihil, eodem, quo intendat, momento, esse invium. Sen. de ben. 2: 29. et 3: 8. ep. 31. f. et 88. non fortuna egentem. Sallust. init. bell. Jug. et Seneca de ira 2: 12. expressurus Publianum hoc, quodcunque, ait, sibi imperavit animus, obtinuit. Per animum intelligas naturam sive rationem, virtutem, prudentiam; quae ut duces sequendae, quibusque nihil non famulatur: ut si quis bella, si gloriam, studia, labores et denique cuncta (modo rationis sanae sint) sibi imperaverit, non pericula, non fortuna, non mortes, incalescentem animi ardorem restinguent. Hoc animi robur non Stoicos modo, sed belligerantes etiam Principes; Caesares, Pompejos, Camillos, Alexandros, supra famam, supra mortem tulisse videtur. Ut itaque virtuti omnia prona et cedentia sunt; ita et animo in transversum acto nihil non remoram manumque injiciet.

Anus cum ludit) Scaliger: post etiam *παίζουσα θανάτῳ γρῆϋς ὡραΐζεται*, quamquam *ἰωνίζει*. Erasmus: Anum vicinam morti non decet lusus. Videtur enim mortem oblectare velle. Ludit et mordet. Convenit et iis, qui aetate confecti, puerilia retractant negotia, et iis, qui aetatis officia praevertunt. Obit adagii vicem, ut obeunt illa; anus saltat, anus cothornizat; debacchatur anus, i. e. bacchanalia celebrat; de quibus Erasmus in adag. ubi et addit, quasi dicas senem nucibus ludere, et Theologum rhetoricis flosculis lascivire.

Aperte mala cum est mul.) Erasmus: Fucatum et fraudulentum animal est mulier, eoque

Δῆθ᾽ ἐγένετ᾽ οὐκ ἐβίωσε δῆθ᾽ ὁ πολυετής.
Παίζουσα γραῦς Χάροντι καλλωπίζεται.
Ἐσθλὴ γυνὴ ἐςὶν, ἥτις ἐμφανῶς κακή.
Τόξον τόνος, χάλασμα τὸν νοῦν ῥήγνυσι.
Οὐ φημὶ τέχνην, ἧς τυχήρης ἔκβασις.

minime noxia, cum palam est mala. Indicat sic nullam esse bonam. Interpretatur hoc Taub. in Plauti Trin. 1: 2: 26. Femineum sexum male audisse plurimis veterum ob astutias et subdolas artes, ne in triviis quidem ignoratur. Scias etiam, histrionis nostri munus fuisse, per contumeliam quandoque esse urbanum; et interspersis salibus theatri plausum captare; interim in confesso est, nocentiores esse insidias occultas, et pressa odia pejora esse professis.

Arcum intensio frangit) Erasmus: Arcus frangitur, si nimium tendas; animi vires augentur exercitatione, otio franguntur. Martinus de moribus, acuit intensio, frangit animum remissio. Arcus et animi comparatio communissima est; etiam in Aesopeis logis in similem incurres; a Plutarcho p. 792. m. ut decantatissimum adfertur; *τόξον μὲν γὰρ (ὥς φασιν) ἐπιτεινόμενον, ῥήγνυται, ψυχὴ δὲ, ἀνιεμένη*: Si Erasmo fides, cui locum debemus. Perpulchra est oppositio: ut arcus intensus, ita animus remissus, frangitur. Est itaque exercitatio et meditatio animo velut alimentum, qua nisi continue fovetur et fulcitur, labascit. Distinctius Seneca in epist. animus non resolvetur, sed remittetur.

Ars non est ea,) Et hunc in epistolis suis infulsit Seneca ep. 29. Quod ex casu prospere cedit, hoc arti non est addicendum; quod vero ex arte, id non casui. Quicquid enim est extra voluntatem et officium sensus, casus est: ut de Pheraeo Jasone Cic. Nat. 3. et Sen. de ben. 2: 19. cujus vomicam vel tuber, nisi aperiretur, fatale, quidam gladio feliciter rupit, cum mallet cervicem. Aliud de Pictore Plutarch. de fortu. 6.

Aspicere oportet, quidquid nolis perdere.
Avaro quid mali optes, nisi ut vivat diu?
Avarum facile capias, ubi non sis idem.
Avarum irritat, non satiat pecunia.
Avarus animus nullo satiatur lucro.
Avarus damno potius, quam sapiens dolet.
Avarus ipse miseriae causa est suae.
Avarus, nisi cum moritur, nil recte facit.

Avaro quid mali optes) Erasmus: Propterea, quod miserrime vivat. Summum igitur malum optat avaro, qui optat diutinam vitam. Grut. ex lib. vet. a. q. m. optes? ut vivat d. ad scenicos certe motus aptius. Avare sordidos, sponte sua totius vitae gaudio spoliari, genium suum fraudare, adque miserrima sua metalla, quod vixerint, damnari, Prudentius Apelleo velut penicillo depinxit in Psychom. 464.

Cura, fames, metus, anxietas, perjuria, pallor etc. vivant ergo.

Avarum facile capias,) Erasmus: Avarum non potest ferre avarus. Vel facile falles avarum, nisi sis idem, quod ille est, id est, avarus et ipse. Zving. et hunc explicat p. 997. et 993. Et hic mimus dignus est, qui eat latius et extra scenam.

Avarum irritat n. s. p.) Crescere indies habendi famem et parandi rabiem partis irritari, confirmat Juvenal. Sat. 14. Crescit amor numi, quantum ipsa pecunia crescit. Prout aegri pulmonis et viscerum arentium querelas exauget saepe potus; et oleum in ardentem Vestam perfusum, vires dat flammae, non adimit: ita improbus hic homo, frustra habendi ingluviem auro explet.

Avarus animus nullo) Meminit hujus Seneca, ut versus magni ponderis ep. 94. erat etiam Psittaci sententia apud Stob. serm. 10.

Avarus damno potius) Erasmus: Sapiens non cruciatur damnis rerum, sed is, qui magni facit pecuniam. Est sententia Grutero censore mone-

Ὅτ᾽ οὐ θελήσαις ἀπολέσαι βλέπειν χρεών.
Τί τοῦ μακρὸν ζῆν ῥίγιον φιλαργύρῳ.
Φειδωλὸν εὖ θηρῷ᾽ ἂν, οὐ τοιοῦτος ὤν.
Κέρμ᾽ οὐ κορεῖ φειδωλὸν, ἀλλ᾽ ἐρεσχελεῖ.
Τὸν κίμβικ᾽ οὐδεὶς κερδέων αἱρεῖ κόρος.
Φειδωλὸς ἀλγεῖ μᾶλλον, ἢ σοφὸς, βλάβῃ.
Φειδωλὸς ἄτην αὐτὸς αὑτῷ προξενεῖ.
Φειδωλὸς οὐδὲν, πλὴν ἀποζῶν, εὖ ποιεῖ.

tae minus probatae, quia forte nescitur, quid in mimis praecesserit, a quo vires sumere potuisset.

Avarus ipse miseriae) Erasmus: nam sua sponte et volens pauper est. Si miseriam aestimas ex insatiabili studio habendi, et exquisitis laboribus; jam miserrimi sunt; utpote infecti pallida tabe, sorditie, vafritie et technis; perciti adeo furore et rabie, ut si vel Pactoli et Hermi opes, si Pelopis talenta, jungantur solium Croesi Cyrique tiarae, ad ea tamen teruncium, ut Cicero loquitur, discuperent addere. Si ad congestas opes respicis; incubant auro et victitant succo suo et velut Tantalus a labris sitiens, fugientia captant flumina. Hinc paroemiae, Lapsanâ vivere, rore pasci, Plin. ficum dividere, Martial. est macilentior Leotrephide Gell. Nec sine sale hi de avaritia mimiambi inter plebem jacti sunt; quod apud Romanos tunc rerum potientes, saepius duces, senatus et exercitus hac corrumperentur; ut Livius, Florus, Sallustius sparsim. Omnem illum populum, luporum animos, inexplebiles sanguinis atque imperii, divitiarumque avidos ac jejunos habere. Justin. 38. 6. Hinc lupi a Volscis Aequisque ducibus dicti sunt apud Liv. 3: 66. et a Telesino apud Vellej. 2: 27: 3.

Avarus nisi cum) Erasmus: Etenim cum moritur, tum demum permittit alios suis opibus frui. Hinc Plutarcho, similes sunt muribus Chrysitidem vorantibus, qui non nisi mortui dissectique aurum reddunt: de cupid. div. p. 526.

Audendo virtus crescit, tardando timor.
Auferri et illud, quod dari potuit, potest.
Avidum esse oportet neminem, minime senem.
Aut amat, aut odit mulier: nihil est tertium.
Auxilia humilia, firma consensus facit.
Bene vulgo audire, est alterum patrimonium.
Bene cogitata si excidunt, non occidunt.
Bene dormit, qui non sentit, quam male dormiat.
Beneficia donari, aut mali, aut stulti putant.
Beneficia plura accipit, qui scit reddere.

Audendo virtus) Ut audacia in milite virtutis et fortunae est occasio, ita mors est timoris.

Auferri et illud) Esse versum Lucilii auctor est Seneca ep. 8. f. cui tamen illum in solidum non tribuit, fortassis quod Publii sit; quod si non est, eum ita transformes, dari bonum quod potuit, auferri potest, h. e. quicquid bono fortunae venit, ut opes, honor, conjux et caetera praeter animi bona, auferri possunt, quare nec iis tuto fiditur.

Aut amat aut odit) Erasmus: Mulier est nimis vehemens: in utramque partem animal affectibus obnoxium. Quanquam hujusmodi viros etiam non paucos reperias, nimis in utramque partem vehementes. Alludit ad Phaedrae fabellam, quae cum deperdite privignum deperisset, mox eum perosa, tandem mortem ejus, suâ expiavit. Ita ab extremo uno ad alterum praecipites agi feminas, non pauci morum ipsarum censores firmant: Conf. Guev. Hor. Pr. 2: 21.

Auxilia humilia fir.) Erasmus: Concordia fortia facit, etiam quae sunt imbecillia, contra, discordia maximas opes debilitat. Etiam haec gnome familiaris est. Concordia enim Romanis victoriarum causa erat, seditionum finis, fulcrum totius eorum imperii, sed tandem tota dissensu corruit: non latet M. Agrippae vox: Concordia parvae res crescunt. Sen. epist. 94. Sallust. Jug. 10. Tac. 10.

Ἀνδρισμὸν αὔξει θάρσος, ὄκνος δειλίαν.
Ἀφαιρετὸν πέφυκεν εἶναι πᾶν δοτόν.
Μηδέν᾽ ἐπιθυμεῖν, καὶ γέρονθ᾽ ἧττον, πρέπει.
Γυνὴ δύ᾽ ἀμέσως οἶδε, μισεῖν, ἢ φιλεῖν.
Στεῤῥοῖ βοηθοὺς ἀσθενεῖς τὸ συμφρονεῖν.
Καλῶς ἀκούειν δευτέρα περιουσία.
Οὐκ ἂν θάνοιεν, κἂν ῥυῶσ᾽ εὐβουλίαι.
Εὕδει μάλ᾽, ἑαυτὸν ὃς λέληθ᾽ εὕδων κακῶς.
Χάριτας δίδοσθαι μωρὸς οἴετ᾽ ἢ κακός.
Εὐεργετεῖται πόλλ᾽, ὃς οἶδ᾽ ἀντευποιεῖν.

Bene cogitata si exc.) Erasmus: Quod recte proposueris, etiamsi ad tempus excidit animo, tamen non omnino perit. Ut salutare consilium, ut cogitatum consultumque e re tua; si vel memoria exciderit, vel tu nauci feceris, ratio tamen et usus reposcet. Miraberis etiam multa suggeri iis, qui animam jam agunt, quae si jucunda fuerint, vere est *ἡδίςη ἡ τῶν ἀπολλυμένων ἀνάκτησις* Philostr. epist. 61. vel ita, si temere vel casu cui verbulum exciderit, sunt qui illud excipiunt: et mimum ad reges, magnates, sapientes, miseros referes.

Bene dormit, qui) Erasmus: Cum abest sensus mali, nihil est mali. Veluti si quis alto somno obrutus, non sentiat incommoditatem strati. Inter jocularia Archimimi nostri, ducit hoc familiam: est itaque philosophia hujus sententiae; si animum semper obfirmaveris in mala, vitam jucunde, utcunque verterit, transiges. Desumta est occasio hujus verbi, ab humili plebe, milite, temulentis, qui jacentes per herbas dorso nemoris et sub dio molliores carpunt somnos, quam qui enervi voluntate diffluentes, in alto toro, sub purpura et bombycino stragulo requiescunt: causam vide in Mim. 10. apposite Cicero de fin.: nimium boni est, cui nihil est mali.

Beneficia plura accipit) Alii recipit. Erasmus: Ingratis nemo plura committit. Quos experimur gratos, in hos majora conferimus. De hoc Plin. epist. 2: 13: 9. Qui dum priora accipit,

Beneficii nunquam, cito dati obliviscere.
Beneficium accipere, libertatem vendere est.
Beneficium dando accepit, qui digno dedit.
Beneficium dignis ubi des, omnes obliges.
Beneficium qui dare nescit, injuste petit.
Beneficium qui dedisse se dicit, petit.
Beneficium saepe dare, docere est reddere.
Bene perdis gaudium, ubi dolor pariter perit.

posteriora meretur. Praecipit ergo more suo i. e. eleganter Seneca: provocati beneficio, debemus agros fertiles imitari, qui multo plus reddunt, quam acceperunt.

Beneficium accipere lib.) Erasmus: Felicius est dare, quam accipere; perdit enim libertatem quisquis alterius utitur beneficio. In judices dictum est, qui corrupti munere in lingua in faucibus bovem gestant, et non nisi venalem et auro emptam justitiam promunt ac exercent: etiam in quosvis officiis et meritis constrictos, qui non nisi repensando solvuntur. Qui beneficia invenit, compedes invenit. Seneca.

Beneficium dando accepit) Erasmus: Hunc versum nominatim citat A. Gellius inter mimos Publianos. Puta 17: 14. citat et Macrob. Saturn. 2: 7. similiter Clem. Alex. L: 2. strom. ex hoc confictus est mimus Grut. Probo beneficium qui dat, ex parte accipit. Hunc in oculis habuit Seneca de ben. 1: 7. Qui accipere se putavit beneficium, cum daret; item de benef. 5: 8. f. accipiendo das, dando accipis; et Simplicius p. 70. de Diogene et Zenone; quis non accipere se potius, quam dare beneficium existimet. Si Grutero fides, cui ultimum hunc locum debemus. Sensus est: qui digno et egeno das, tibi beneficium illud tanti constat, ac si accepisses, redit namque ad te sensus recepti, quum bene fuisse gaudes. Nemo non cum alteri prodest, sibi profuit; et post paulo: recte facti fecisse merces est. Sen.

Χάριτος δοθείσης ὠκέως μὴ ἐπιλάθου.
Χάριν λαβὼν, τῷ δόντι σαυτὸν ἐμπολᾷς.
Διδοὺς ἐλήψατ', ἥν τις ἀξίῳ διδῷ.
Ἐνόχους, ἐπαρκῶν ἀξίοις, πάντας ποιεῖς.
Εὐεργετεῖν ἄϊδρις οὐκ αἰτεῖ καλῶς.
Εὐεργετῆσαι φάς πότ' εἰσπράττεις χάριν.
Τίνειν διδάσκεις πολλάκις διδοὺς χάριν.
Λύπης φθαρείσης εὖ χαρὰ συναπόλλυται.

ep. 81. Quo argutius nihil; beneficii enim orbem per manum transeuntis et ad datorem revertentis adumbrat mimus, et alludit ad gratias, triadem sororum, quae manibus implexis et consertis junctae, rotam beneficii dandi, accipiendi et reddendi confingunt, cf. Sen. de ben. 1: 3.

Beneficium dignis ubi) Erasmus: Virtuti enim datur, non homini. Et tuo beneficio bonus in ceteros omnes utitur. Non invenustum est Senecae responsum benefactori, plures quam putas obligasti, de ben. 2: 24. ita est societatis indoles, ut mutuis officiis foveatur; inde non nemo amorem mutuum ejus fundamentum statuit.

Beneficium qui dare n.) Erasmus: Non debet uti beneficiis aliorum, qui ipse nemini bene facit.

Beneficium qui dedisse) Erasmus: Commemoratio beneficii dati, est reposcentis gratiam. Non abludit Annaeus de ben. 2: 11. Qui admonet, repetit. Non itaque humanitatis est, beneficii sepulti mentionem postliminio quasi injicere: verbo, turpe est beneficium inter expensa referre.

Beneficium saepe dare,) Erasmus: Qui saepius bene meretur de aliquo, is provocat ad gratitudinem quadam pertinacia benefaciendi. Pertinacis meriti assiduitas pudorem injicit; pudor gratum animum, ni effrons et inopertum caput sit. Callide Mimographus, cum quo et certat Sen. de ben. 1: 3. Qui instat et onerat priora sequentibus, etiam [ex] duro et immemori pectore gratiam extundit.

Bene perdit nummos, judici cum dat nocens.
Bene vixit is, qui potuit, cum voluit, mori.
Benevolus animus, maxima est cognatio.
Benignus etiam dandi causam cogitat.
Bis emori est, alterius arbitrio mori.
Bis est gratum, quod opus est, ultro si offeras.
Bis interimitur, qui suis armis perit.
Bis peccas, cum peccanti obsequium accommodas.

Bene perdit nummos,) Erasmus: Qui corrumpit judicem pecunia, cum sit nocens, perdit eam, sed suo bono. Proinde bene perdit. Plurima vide exempla in Zving. p. 1069. et 1212. Qui lege agent coram malo judice, plerumque etiam numis agent, ni velint sua culpa formula cadere. Hujusmodi δωροφάγους arbitros expertos saepius Romanos legimus, qui secundum eos sententiam plerumque pronuntiabant, qui peram ipsorum expleverant.

Benignus etiam dandi) Erasmus: Qui liberalis est, non exspectat ut rogetur, sed ultro quaerit occasionem largiendi. Benigni datores anteveniunt preces, et dandi locum quaeritant, adque fruendum invitant; ceu arbores fructibus luxuriantes et gravidae, sponte sua brachia et palmites inclinant, et offerunt carpendos.

Bis emori est) Erasmus: Mortem naturalem aequiore animo ferunt homines, adactam gravius. Cum vita finitur morbo, morituro et superstitibus magnum est solatium ex ipsa necessitate, at si illa morte arcessita rumpitur, geminatur luctus, eo quod ex natura non esse videtur. Huc pertinet Drusi Libonis exemplum, qui sibi mortem ideo conscivit, ne inimici moriturus esset arbitrio, ut de eo Seneca tradit epist. 70.

Bis est gratum) Erasmus: Beneficium precibus extortum, magnam gratiae partem perdidit. Quod ultra oblatum, id bis gratum. Cum necessitates properantes praeverteris: gemina erit gratia, ex eo quod rogantem anxietati suae exemeris, et insuper

Εὖ ὤλεσεν τὸ κέρμ᾽ ὁ φεύγων, δοὺς κριτῇ.
Ὁ θανεῖν δυνηθεὶς ὅταν ἔδοξ᾽, ἔζησεν εὖ.
Ἦθος φιλόφρον ἐςὶ συγγένει᾽ ἄκρα.
Ζητοῦσ᾽ ἀφορμὴν τοῦ ποιεῖν εὖ δαψιλεῖς.
Θανεῖν ἐπ᾽ ἄλλων αἱρέσει διττὸς μόρος.
Ἣν τὸ δέον εὐθὺς δῷς ἑκὼν, διττὴ χάρις.
Διττῶς τέθνηχ᾽ ὁ τοῖς ὅπλοις ἰδίοις θανών.
Εἴκων ἁμαρτάνοντι, δὶτθ᾽ ἁμαρτάνεις.

eum benefactis bearis. Bis etiam est gratum, quod et ipsum demerueris et plurimos ejus gratia devinxeris: gratia cum fieri properat, gratia grata magis est. Auson. epigr. 84. adde Sen. de benef. 2: c. 12.

Bis interimitur qui) Erasmus: Magis nobis dolet calamitas, cujus ipsi ministravimus occasionem. Veluti si quis hominem evehat ad magistratum, a quo postea subvertatur. Nihil argutius est in auctoris nostri planipedia. Confirmatur mimus exemplis Pompeji, Caesaris, Darii, Ciceronis etc. qui clientibus cervicem dedere: etiam Annibal de Romanis suis ait armis posse vinci. Justin. Videtur acumen hoc natum esse ex Aesopeo apologo de aquila, quae cum in pectore icta, vulnus inspiceret; ut pennarum spiculum cernit, papae! ait, ala me aligeram exitio dedit. Vel de colono hydram torpentem ad pectus fovente. Vel de equo, in exitium suum, sessorem petenti. Vel de securi lucum caedente; pereo, ait lucus, mihimet sum causa pericli. Ceterum, ut in vita hoc nihil miserius, nihil infelicius est, ita et communius nihil. Etiam ad *αὐτοχείρους* referas, si lubet, gnomen; prout Achaemenides Virgilianus ad Aeneam 3: 606.

Si pereo, manibus hominum periisse juvabit.

Bis peccas cum pecc.) Erasmus: Nam et illum adjuvas, et te ejusdem malefacti reum facis. Ea de causa etiam Seneca Tragicus in Troad. 289. in me, inquit, culpa cunctorum redit. Qui non vetat peccare cum possit, jubet.

Bis vincit, qui se vincit in victoria.
Blanditia, non imperio fit dulcis Venus.
Bona comparat praesidia misericordia.
Bona fama in tenebris proprium splendorem obtinet.
Bona, imperante animo, fiet pecunia.
Bona homini mors est, vitae quae extinguit mala.
Bona nemini hora est, ut non alicui sit mala.

Bis vincit, qui) Erasmus: Qui moderate utitur victoria, is vincit primum hostem, deinde animum. Similiter Scaliger: vincens se bene de cunctis agit ille triumphum. Geminae hujus victoriae laudem a priscis meruere Gothi nostri; ut ab August. de civ. Dei c. I. c. 5. 29. Joh. Goth. L. 4. hist. Sveog. c. 6. idem in hist. Svec. de Gustavo Adolpho p. 534. Secus sensere ipsi de suis Romani; ut Seneca ep. 94. de Caesare, Pompejo, Mario; Marius, inquiens, exercitum, Marium ducebat ambitio; adde Camer. hor. subc. 5: 26: 29: vitia, quibus vinci imperatorem indecet, sunt ira, saevitia, cupiditas, gloria, ambitio etc.

Blanditia non imperio) Erasmus: Jucundum est, cum ex animo quis redamatur, non cum extorquetur mulieris obsequium. Notum est illud Ovidii: Nec in una sede morantur Majestas et amor.

Bona comparat praesidia) Erasmus: In alios misericors meretur, ut in ipsum faventes sint alii, si quid inciderit; et Zving. p. 308. Qui aliis subvenerit, huic alii vicissim subvenient in adversis; hoc etiam saepius inculcat noster: cf. Sirac. 29: 14, 15, 16, item 40: 24.

Bona fama in tenebris) Erasmus: Decus recte factorum non potest obscurari. Lucet enim ipso pectore, si non respondet opinio populi.

Bona mors est homini) Grut. ex Msc. legit: animi mala; utrumque fluit ex gentili errore. Solennis Romanis erat de defunctis formula: si quis in mor-

Κρατῶν σεαυτοῦ δὶς κρατεῖς, νίκῃ κρατῶν.
Πειθοῖ μαλακτὸς οὐκ ἀνάγκαις ἔστ' ἔρως.
Καλὰς ἀφορμὰς τοὔλεος πορίζεται.
Εὔκλεια κέκτητ' ἴδιον ἐν σκότῳ σέλας.
Χρῆστ' εἰσὶν, ἂν νοῦς κυριεύῃ, χρήματα.
Κάλλιστος ὁ μόρος, ὃς βίον παύει κακῶν.
Καὶ δυστυχεῖν τιν' ἔστ' ἐν ᾧ τις εὐτυχεῖ.

te, in umbra sensus est; qua indolentiam et sensuum carentiam post obitum statuere, sed dubie plerumque; ut Sen. cons. ad Polyb. Quid juvat dolori intabescere, quem si quis defuncti sensus est, finiri frater tuus cupit. Et Ovid. de Ponto Eleg. 3. Si superest aliquis post funera sensus; et Sen. Octav. 1: 2. Si quis remanet sensus in umbris. Apertius docemur ab Ambrosio in lib. de obitu Valent. ex quo et de intellectu nostrae sententiae reddimur certiores, his verbis: quod si gentes, quae spem resurrectionis non habent, hoc uno se consolantur, quod dicunt, quod nullus post mortem sensus sit defunctorum, ac per hoc nullus remaneat sensus doloris. Miseris imprimis est mors velut diu optatus portus, velut meta et jucundissima statio. Ideo Senec. cons. ad Marc. 19. mortem omnium dolorum solutionem et finem appellat. Idem cap. 20, cum sermonem facit de poenis et cruciatu, video, ait, istic et mortem.

Bona nemini est hora) Erasmus: Nulla fortuna secunda est, quae non alicujus malo contingat. Ita res mortalium temperat natura, ut unius gaudium et favor sit alîus dolor et odium; quod ademptum est uni, alteri traditur: prout sidera, quae alternis semper eunt redeuntque vicibus, cum oriuntur nobis, aliis cadunt; diem quem nobis condunt, aliis pandunt: ita etiam iniquam alterius sortem, successus unius premit. Etiam ad tempus, si velis, mimum referas, secundum Antiph. in Stobaeo serm. 6. Ubi dulce est, prope alicubi etiam est triste.

Bona opinio hominum tutior pecunia est.
Bona quae veniunt, nisi sustineantur, opprimunt.
Bonarum rerum consuetudo pessima est.
Bona turpitudo est, quae periculum vindicat.
Boni est viri, etiam in morte nullum fallere.
Bonis nocet, quisquis pepercerit malis.
Bonitatis verba imitari, malitia major est.

Bona opinio hominum) Erasmus: Tutius est habere bonam famam, quam divitias. Opinio haec non tuta modo et secura est, sed et requiem parit animi. Divitiae vero et discrimini subjacent, et mentem sollicitant inquietantque: Plaut. in Most. Si bonam servasso famam, dives ero satis.

Bonarum rerum consuet.) Erasmus: Vilescit quod consuetum esse coeperit. Bonis rebus nihil esse debet carius. Carum est autem quod rarum est. Multa habet Erasmus I Cent. VII. 64. huc pertinentia: hunc vero aliter interpretari Castalionem decad. 6. obs. c. 8. auctor est Gruterus. Juvenalis eleganter: Voluptates commendat rarior usus. Ita natura est comparatum, ut bonis rebus, divitiis scil. cupediis etc. fatales velut pestes subsint, si iis ad nauseam et fastidium usque utamur: etiam bonis saepius obest adsuescere. Mimus. Prout vero non gladio caedem, ita nec rebus his bonis vitia sed abusui utentium adscribes.

Bona turpido est) Erasmus: aut sic: qua periculum vindicat (legit enim indicat). Satius est pudere quam pigere. Pudor est utilis, per quem arcemur ab his, quae periculose fecerimus. Recte opinor, Erasmus turpidinem pro pudore accepit. Nam multa sane faceret homo, quae in discrimen ipsum adducerent, nisi pudor injecta quasi a tergo manu, cupiditates retineret et refraenaret. Etiam hinc alius sensus erui potest, scilicet in supremis periculis saepe veniam dari culpae, ut Claudian.

Εὔκλεια μᾶλλον ἀσφαλὲς τῶν χρημάτων.
Τ' ἀγαθὰ ῥέοντ' ἢν μὴ ςέγῃς, θλίψουσί σε.
Καὶ τῶν καλῶν ἐθισμὸς οὐ καλὸς πέλει.
Ὄνειδος ἐσθλὸν, ᾧ τὰ δεῖν' ἐκκλίνεται.
Χρηςοῦ πρὸς ἀνδρὸς κἀπὶ θανάτῳ μὴ ἀπατᾷν.
Ἐσθλῶν ἀφειδεῖς οὐκ ἀφειδήσας κακῶν.
Ὑπόκρισίς γε τ' ἀγαθοῦ κακία διπλῆ.

prout in morbis, secundum mimum, nihil turpe ducas pro salutis remedio: sic inclementia in Principe non turpis judicatur, si a perduellibus undique petitur; sic victo duci iniqua foedera et supplices voces non vitio vertuntur.

Bonis nocet quis.) Erasmus: fit injuria bonis, cum impunitas datur malis. Pauciores enim boni futuri sunt, si liceat impune malos esse. Conniventiam principis nocentiorem esse rigore ipsius, ex eo manifestum est, quod ea de causa et mali et boni velut stimulo in mala concitentur: maxima illecebra peccandi est impunitatis spes. Cicero pro Mil. 16. conf. Camer. hor. subc. 1. ult. suadet ergo Sallustius Catilin. 52. et in Jugurth. 31. ne ignoscendo malis bonos perditum eatis.

Bonitatis verba imit.) Erasmus: Qui malus est et bene loquitur, is plus quam malus est. Blandiloquos hos et mellitos, sed juxta noxios parasitorum, bilinguium et veteratorum sermones, non pauci, ut ipsum Erebum et Averni fauces exsecrantur: sunt enim simillimi iis, qui venenatum potum, inimico adulantes offerunt. De Nerone, Phaëtonte orbis terrarum et bipedum nequissimo, legimus, matri suae ideo adblanditum esse, ut parricidium astu et lenociniis tegeret: etiam similes fraudes in Tiberio, in Grajis; unde Pelasgae, Tiberianae artes dictae sunt. Sint ergo labra nostra animo consona, non versutiloqua, insidiosa; sint sine fuco, velo, tectoriis, non bonitatis verba (ut belle noster) imitantia.

Bono justitiae proxima est severitas.
Bonorum crimen est officiosus miser.
Bonum ad virum cito moritur iracundia.
Bonum est fugienda aspicere in alieno malo.
Bonum est etiam bona verba inimicis reddere.
Bonum quidem supprimitur, nequam extinguitur.
Bonus animus laesus, gravius multo irascitur.
Bonus animus nunquam erranti obsequium accommodat.

Bono justitiae prox.) Erasmus: Severitas enim est justitia rigidior et exactior, vergens tamen ad clementiam. Vel hoc potius sensu: Justitiam operari semper bonum: in suppliciis vero, cum difficile est temperamentum, satius est ut ad severitatem, quam ad indulgentiam justitia inclinet, judicio auctoris, ut modo.

Bonorum crimen est) Erasmus: Si calamitosus est, qui recte vivit, hoc imputatur virtuti, cui dicunt adversari fortunam. Vel sic, cum eget necessariis vir probus, in dedecus vergit bonorum virorum, qui virtuti non habeant honorem. Scaliger: Contrarium recte concluditur Graeco versiculo: *κοινὸν δὲ καλόν ἐςι χρηςὸς εὐτυχῶν*, aliud contrarium: *θεῶν ὄνειδος τοὺς κακοὺς εὐδαιμονεῖν.* Senarius vetus proverbialis Auson. tribuit Cleobulo Lindio: fortunae invidia est immeritus miser.

Bonum ad virum cito) God. et H. St. legunt: bonum apud v. perinde est, ut ad amicum potare. Plaut. ad aliquem coenare, Gellius; casta ad virum, infra noster. Erasmus: Apud malos viros ira tardissime senescit, apud bonos cito. Sufficiunt b. memoriae Norrmanni verba: Igneae et generosae mentes cholerâ suâ et bili incitatae, et cito ignescunt, et cito rursus deflagrant etc. conf. omnino Val. Max. 4: 2. cum Ruperto ib. Schriv. Thes. 3: 20, 21.

Bonum est fugienda asp.) Erasm. item Plau-

Τὸ σκληρὸν ἦθος σχῆμα τῆς δίκης ἔχει.
Φίλων ὑπουργὸς δυςυχὴς, χρηςῶν ψόγος.
Χρηςῷ παρ᾽ ἀνδρὶ ταχὺ μαραίνεται κότος.
Χρηςὸν, τὰ φευκτὰ τῶν πέλας ἐνιδεῖν κακοῖς.
Ἀντιπροσειπεῖν καὶ τὸν ἐχθρὸν εὖ, καλόν.
Τ᾽ ἀγαθὸν ἐκρύφθη, τὸ δὲ κακὸν καὶ σβέννυται.
Χρηςὸς τραχυνθεὶς ὀργιλωτέρως ἔχει.
Σπουδαῖος οὐ τοῖς πλημμελοῦσ᾽ ὑπηρετεῖ.

tus: feliciter sapit, qui alieno periculo sapit. Quid tibi sit fugiendum, id discas non tuo malo, sed ex aliorum malis exemplum sumito. Alibi Plautus: Te de aliis quam alios de te suavius est fieri doctos.

Bonum quidem supprimitur) Nequam legitur pro nequaquam ex conjectura Scaligeri, Gruter. ex Msc. bonum quod est, si premitur, nequaquam e. addit, et ita locuta est vetus aetas. Erasmus: veritas et justitia premi potest ad tempus, sed emergit postea. De virtute Seneca de tranq. 2. nunquam non (ita lege) inquit, quamvis obscura virtus latet, mittit sui signa; et epist. 79. nulla virtus latet. Raro ob invidiam vivis refert virtus gratiam, sed post fata, eorum uberior plerumque fama effulget emicatque, et dolendum, ludi hanc fabulam multis, quorum manes tantum et umbras nunc veneramur.

Bonus animus laesus) Erasmus: Lenis animus cum excandescit, vehementius commovetur. Etiam infra noster mimo 198. Cicer. I. de LL. Virorum bonorum est admodum irasci. Probe ergo cautum est a numine, ut proborum ira sit exacerbatior, ne innocentia et simplicitas usquequaque ab improbis infestaretur. Gravior est, quia subest irae eorum justior causa, et non nisi diu exstimulata saevit; citius tamen, quam incaluerit, ut modo noster, despumat et relanguescit.

Bonus animus nunquam err.) Erasmus: Qui

Brevis mens ipsa est memoria iracundiae.
Brevis ipsa vita est, sed malis fit longior.
Caeci sunt oculi, cum animus alias res agit.
Caret periculo, qui etiam, cum est tutus, cavet.
Casta ad virum matrona parendo imperat.
Casus quem saepe transit, aliquando invenit.
Cave amicum credas, nisi quem probaveris.
Cavendi nulla est dimittenda occasio.
Cave ne quicquam incipias, quod post poeniteat.
Cicatrix conscientiae, pro vulnere est.
Citius venit periculum, cum contemnitur.
Cito ignominia fit superbi gloria.

probus est, ipse nunquam alteri peccanti assentitur.

Brevis mens ipsa est) Aliter e Msc. Fris. legit Gruter. breve amans est ipse memoratio vel memorata iracundiae. Barthius non inepte divinat: brevis amanti est ipsa m. ir. et novissime Grut. brevissima esto m. ira. Vel si mavis, levis mens, quae et iracundior est et diutius memorat iram; vide Sen. de Tranqu. c. 2. et de Const. c. 10. Ceterum, licebit etiam per homines brevis mentis intelligere eos, qui animi sunt pusilli, contracti, ut Senecae audiunt; humilis, angusti, ut Plinio. Graecis dicti sunt μικρόψυχοι, nostris: korta om hufwudet, småsinta, borriga: ut feminae, aegri, senes, pueri, miseri. Iracundissimi sunt infantes senesque et aegri et invalidum omne natura est querulum. Sen. de ira 1: 13. f. adde L. 3: c. 9. f. et Marcell. 27. de ira.

Caret periculo etiam) Ejusdem cautelae est mimus Gruteri: Si nihil velis timere, metuas omnia. In ipsa ergo securitate cautio commendatur.

Casta ad virum matr.) Erasmus: Pudica uxor hoc impetrat obsequio suo, ut quicquid velit, faciat maritus: et magis impetrat, cum obsequitur, quam cum exigit. Duo in matrona laudat,

Αὕτη βραχὺς νοῦς μῆνις ἡ μνήμων πέλει.
Βραχὺς βίος πᾶς τοῖς κακοῖς μακρύνεται.
Ὅταν ἀκηδεῖ νοῦς, τυφλώττουσ' ὄμματα.
Ὅς γ' εὐλαβεῖται μᾶλλόν ἐς' ἀζήμιος.
Σώφρων κρατήσαιτ' ἀνδρὸς εὐπειθὴς γυνή.
Ταυτόματον αἱρεῖ χ' ὅν περ ὑπερέβη θαμά.
Ἀνεξέταςον ὄντα μὴ φίλον λέγε.
Τὴν τοῦ φυλάσσεσθ' οὐκ ἐατέ' ἐς' ἀκμήν.
Μὴ πρᾶγμα χείριζ' οὗ σε μετάμελος λάβῃ.
Ὕπουλον ἕλκος ἐςὶ τὸ συνειδὸς νοσοῦν.
Καταφρονηθεὶς κίνδυνος θᾶττον μόλοι.
Δύσκλει' ἂν εἴη θᾶττον ὑβριςοῦ κλέος.

castitatem et obsequium. Veteres, ut in vicem, conjuges, suadendo, precando, parendo imperarent, Mercurium locarunt juxta Venerem et Suadas juxta Gratias, Plutarch. Praec. conj. 2.

Casus quem saepe transit) Totidem exstat verbis in Herc. Fur. 328. Quem saepe transit casus, aliquando invenit. Hunc ita extulit Sen. Philos. de Tranq. XI. Mirer aliquando ad me pericula accessisse, quae circa me erraverunt.

Cavendi nulla est) Erasmus: Nunquam satis caveris. Aliquando nocendi est dimittenda occasio, cavendi nunquam.

Citius venit periculum) Erasmus: Magis nocet periculum his qui negligunt quam qui cavent. Ut hostis, ignis, morbus, contemptu et oscitantiâ plerumque citius obrepunt.

Cito ignominia) Erasmus: Arrogantiam semper sequitur infamia. Et qui insolenter utitur gloriâ, incidit in ignominiam. Superbiens et ventosa gloria nulli diutinam laudem affert; plerumque enim qui aestuant et intumescunt inani laudum ambitu et vanam gloriolam insulse captant, vel in exitium suum retro praecipites aguntur, vel sinistris ubique sermonibus carpuntur.

Cito improborum laeta ad perniciem cadunt.
Civilis belli oblivio, defensio est.
Cogas amantem irasci, amare si velis.
Comes facundus in via pro vehiculo est.
Conjunctio animi maxima est cognatio.
Conscientiae potius, quam famae attenderis.
Considera, quid dicas, non quid cogites.
Consilium inveniunt multi, sed docti explicant.
Consilio melius vincas, quam iracundia.
Consueta vitia ferimus non reprehendimus.
Contemni gravius sapientiae est, quam percuti.

Cito improborum laeta) Erasmus: Non est diuturna malorum felicitas. Sen. ep. 74. de raptore; nulli etiam cui rapina feliciter cessit, gaudium rapti duravit in posterum. Adde Caton. dist. 2: 23. et Opt. Par. Not. ib.

Civilis belli oblivio) Si caret intestinis dissensionibus civitas, defenditur; puta, sociis et concordibus civium armis et animis. Contra, voluntatem et partium contentiones et dissidia, hostes in ejus exitium exciunt et adjuvant; suasmet manus ipsi velut in viscera sua vertunt, quod verum esse ex maximorum imperiorum ruinis docemur.

Comes facundus in via pro) Erasmus: Et hic versus citatur ab A. Gellio. Jucundus confabulator facit, ut non sentias vitae taedium, perinde ac si vehiculo porteris. Unde Ovid. 2: de Ponto 3: 35.

Saepe brevis nobis via visa loquendi est.

Adde Sen. de brevit. vitae 9.

Conjunctio animi maxima) Erasmus: Arctius alligat mutua benevolentia, quam affinitas sanguinis. Forte versus hic ita legendus est: Benevolus animus maxima est cognatio, nam et hoc modo carmen constat, et in hac litera nempe B reperiebatur. Ita ut placet Erasmo, legunt codices Fris. Godof. et Henr. Steph. adi Cicer. Offic. 1: 7. et Quintil. declamat. 16.

Ὡς εἰς κακὸν πίπτουσιν αἱ κακῶν τύχαι.
Ἀπολογία ἐςὶ λῆσις ἐμφύλου δορός.
Ὄργιζ᾽ ἐραςὴν, ὥς᾽ ἐρᾷν αὐτὸν ποιεῖν.
Ἔς᾽ ἀντ᾽ ἐώρας συμπόρου λέσχη φίλου.
Ψυχῆς ὁ δεσμὸς σύγγενει᾽ ἔς᾽ ἀκριβής.
Τὸ συνειδὸς αὐτοῦ μᾶλλον, ἢ θρύλλους σκοπεῖν.
Τί δὴ ἐρεῖς, σκόπησον, οὐ τί δὴ φρονεῖς.
Γένοιτο βουλῇ μᾶλλον ἢ θυμῷ κρατεῖν.
Κακίαν συνήθη φέρομεν, οὐκ ἐλέγχομεν.

Considera quid dicas) Nam humana fora non cogitationis sed sermonis rationem exquirunt.

Consilio melius vincas) Erasmus: Ira praeceps est, prudentia sedata: hac citius efficies quae voles, quam violentiâ et ferociâ. Ira et consilium id est ratio sunt opposita, ut apud Senec. de ira 3: 27. Consiliis et prudentiae plus efficaciae ad suadendum inesse, quam iracundiae, docemur exemplis Nathanis ad Davidem, 2 Sam. 12. Menenii Agrippae ad plebem Romanam, Flor. 1: 23. et eos imitantis quasi Emundi, ad Olaum regem Locc. p. 64. Qui prudenti et vivo colore sub fabularum picturis, dissuasere ea, quae irâ nullus impetrasset.

Consueta vitia ferimus) Cod. Fris. ferri non repr. Publica et vulgaria crimina non solemus poenis afficere; inique publico irasceris crimini. Sen. de benef. 7: 28. et de ira 3: 26. Desinit enim locus esse remediis, ubi in mores vertuntur vitia; quia recti apud nos locum tenet error ubi publicus factus est, idem. Ideo nec publice statuitur poena, in superbos, luxuriantes, sordidos, imperitos, lividos, simulatores, susurrones, iracundos: ne exerceatur justo frequentius vindicta in naevos, quos communis error in familiaritatem traxit.

Contemni gravius est) Discordant codices: Grut. levius stultitiae, plane ut Proverb. 17: 10. Erasmus ex suo scripto, levius quam stultitia perc. ad quem ita; satius est contemni ob virtutem, quam

Contemni levius stultitiae est, quam percuti.
Contra felicem, vix Deus vires habet.
Contra impudentem, stulta est nimia ingenuitas.
Crimen relinquit vitae, qui mortem appetit.
Crudelem medicum intemperans aeger facit.
Crudelis est, non fortis, qui infantem necat.
Crudelis est in re adversa objurgatio.
Crudelis, lacrymis pascitur, non frangitur.
Cui omnes bene dicunt, possidet populi bona.
Cui plus licet, quam par est, plus vult, quam licet.
Cui semper dederis, ubi negas, rapere imperas.

stultum quid agere. De hoc mimo etiam Zving. p. 662. 755 et 848. Sed forte agit hîc Syrus noster Stoicum; ut sub stultitiae nomine, intelligat omnes non Stoice sapientes et moratos; quos et Tullius insanos vocat in Parad. vide Horat. 2. Sat. 3. et Sen. de ben. 2: 35. et ep. 37. Hinc stultitiâ percuti erit stultum dici et a sapientum numero disclusum, inter stultam et humilem plebem numerari; quod tamen auctoris nostri judicio, non ita grave erit, ac contemni, in postremis haberi, et nullum ordinem, locum et nomen inter sapientes obtinere. Ad hunc forte respexit Sen. in Cons. ad Helv. 13. f. Scio quosdam dicere, contemptu nihil esse gravius; sed contrarium probat ep. 105.

Crimen relinquit vitae) Erasmus: Videtur accusare vitam suam, qui mortem appetit. Idem ferme Seneca controv. 8: 4. Nescio, cujus criminis sibi conscius confugit, ad mortem. Ut qui in morbis, captivitate, infortunio, periculis, aliove vitae taedio, fata sua (ut mos erat Romanis) praevertunt.

Crudelem medicum) Erasmus: Aegroti intemperantia facit, ut medicus cogatur ad duriora remedia descendere, nempe sectionem et ustionem et similia. Si incontinens vivendi ratio, intemperans, luxurians, lasciviens, sani corporis vires; multo magis aegrotantis, infirmat. Idem fere Seneca de intemperantia hac testatur ep. 97. f. et ep. 123. f.

Πληγὰς ὁ μωρὸς θᾶττον, ἢ χλεύην φέροι.
Κατ᾽ εὐτυχοῦντος οὐκ ἂν ἰσχύοι θεός.
Κατὰ τῶν ἀναιδῶν μωρὸν ἡ ἀφέλει᾽ ἔφυ.
Ἔγκλημα βιότῳ προστρίβεις, θανεῖν ποθῶν.
Νοσῶν ἀπειθὴς ὠμὸν ἰατρὸν ποιεῖ.
Οὐ κρατερὸς, ὠμὸς δ᾽ ἔσθ᾽ ὁ νηπιοκτονῶν.
Ἀπηνές ἐςι, δυστυχοῦντα νουθετεῖν.
Τρέφει τὸν ὠμὸν, οὐ ςρέφει τὰ δάκρυα.
Δημοκρατεῖ γ᾽ ὁ πᾶσιν εὐφημούμενος.
Ὧι ἔξες᾽ ὑπεράγαν, πλεῖον᾽ ὧν ἔξεςι, λῆ.
Κλέπτειν κελεύεις μὴ διδοὺς, ὁ δοὺς πάρος.

Crudelis est in re adversa) Erasmus: Consolandus est amicus, non objurgandus in rebus afflictis.

Cui omnes bene d.) Acceptus imperans in omnia civium bona jus habet: ut Plin. Panegyr. 27. f. de Trajano: Cujus est quicquid est omnium, tantum ipse quantum omnes habet; et versa vice.

Cui plus licet, quam) Erasmus: Hunc versiculum adscripsi ex Gellio. Cui plus permittitur, quam aequum est, is plus sibi sumit, quam oportet. Hoc convenit in tyrannos et uxores. Ea licentiae est natura, ut si laxioribus habenis gaudeat, velut infraenis et impotens sui, in immensum aequor exspatietur: quod in divitiis, dignationibus, fortuna, vitiis, usu solet venire. Et quod mireris, quo sint humiliori loco oriundae dignitates, et ex tenuiori potentiae semine enatae, eo in altiora exscendere, et supra hominum ora volitare animus et votum sit. Huc alludit Seneca Tragicus in Troad. 337. Minimum decet libere, cui multum licet. Idem in Hippol. 215. quod non potest, vult posse, qui nimium potest. Etiam in epistolis ejus, memini mimiambum hunc legisse.

Cui semper dederis) Erasmus: Qui assueverit semper accipere, is putat jam sibi deberi, quod datur, adeo ut si negaris, paratus sit eri-

Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest.
Cuivis dolori remedium est patientia.
Cujus mortem expetunt cives, vitam oderunt.
Cum das avaro praemium, ut noceat rogas.
Cum inimico nemo in gratiam tuto redit.
Cum vitia prosunt, peccat qui recte facit.
Damnare est objurgare, cum auxilio est opus.
Damnati lingua vocem habet, vim non habet.
Damnum appellandum est cum mala fama lucrum.

pere vi. Hoc ad Magnates peculiariter attinet. Ut mos apud Romanos, coronas triumphaturis aureas dandi, in debitum tempore transiit; vide Brisson. in formul. Quod a principio beneficium fuit, usu atque aetate fit debitum. Symmach. ep. 10: 61. vel ex alio mimo nostrum hunc intelligas: saepe ignoscendo das injuriae locum.

Cuivis accidere potest) Sive bonum sive malum sit, cuivis potest evenire, quod uni. Ut pericula, morbi, dignitas, favor. A Seneca de Tranq. XI. citatur cum praegrandi elogio; quod Publius Tragicis et Comicis ingeniis vehementior sit, et verba ejus ad summam caveam spectent; et cothurno non tantum sipario sint fortiora; mimum etiam hunc, Pompeji, Sejani, Mithridatis, Croesi, Ptolomaei exemplis illustrat. Iterum citatur ad Marc. 9. Ubi Annaeo versus egregius et dignus audit: et Lipsio, consessu et aure severiore et Thalete dignus in not. ib. et epist. cent. I: 26. Corrupte in c. loco Annaei legitur: est enim è populo; forte verius, est enim e Publio; vel ut pulcherrime Rutgersius var. lect. L. 6. p. 550. restituit: egregium versum et dignum audi: Qui non? Publii Syri est; alii aliter. Alludit ad minum Sĕn. de Const. cap. 19. Fatente etiam Lipsio, Quis est enim, qui non possit contumeliam facere, si quisquam potest; etiam ep. 98. Quicquid fieri potuit, potest. Non absimile in Cic. Tusc. Quaest. p. 153, citante Grutero.

Cuivis dolori remedium) Erasmus: Omnis

Συμβὰν ἑκάςῳ, παντὶ συμβαίη ποτέ.
Ἅπαντος ἄλγους ἔς᾽ ἄκος τὸ καρτερεῖν.
Μισεῖ πολίτης ζῶντας οὓς θνήσκειν ποθεῖ.
Βλάπτειν ὀτρύνεις δοὺς γέρας φιλαργύρῳ.
Οὐκ εἰσὶν ἐχθρῶν ἀσφαλεῖς καταλλαγαί.
Εἰ τὰ κακ᾽ ὀνεῖ σὲ, πλημμελεῖς ποιῶν καλά.
Χρήζοντ᾽ ἀρηγοῦ νουθετῶν κατακρίνεις.
Φωνὴν μὲν, ἰσχὺν δ᾽ οὔ, καταδίκου γλῶσσ᾽ ἔχει.
Δύσκλεια κέρδους ζημίας κλῆσιν φέροι.

dolor lenitur patientia. Alia aliis malis sunt remedia: at patientia commune est malorum omnium lenimentum. Optime Sen. L. 3. de ira, c. 36. Unicum est levamen malorum ingentium, pati, et necessitatibus obsequi.

Cujus mortem expetunt) Varie a variis legitur hic mimus; sensu tamen eodem. Erasmus: Ejus vita fuerit invisa oportet, cujus amici mortem optant. Ejusdem acuminis est Senecae hoc Tragici, Oedip. 243. Queritur peremptum nemo, quem incolumem timet.

Cum inimico nemo) Erasmus: Non est statim fidendum inimico. Facile dissolvitur benevolentia, at non facile sarcitur, et ira omnium tardissime senescit. Exempla vide in Camer. med. hist. 3: 55. Richt. Ax. Polit. 321. histor. 275.

Damnare est objurgare) Fris. Cod. damna ne obj. Erasmus: Cum amicus afflictus eget auxilio, tunc objurgare non est officiosum, sed id damnare est. Primum eximendus est calamitati, postea objurgandus, quod suâ culpâ in eam inciderit. Vid. Sen. L. 2: de benef. c. 6. et supra in crudelis in etc.

Damnum appellandum est) Erasmus: Lucrum cum jactura famae, damnum est, non lucrum. Scaliger: est vetus Graecorum, *κέρδος πονερὸν ζημίαν ἀεὶ φέρει*. Infame lucrum damnum est, quia

Damnum, nisi ex abundantia, raro venit.
Dari bonum, quod potuit, auferri potest.
De inimico ne loquaris male, sed cogites.
Deliberando discitur sapientia.
Deliberando saepe perit occasio.
Deliberandum est diu, quod statuendum est semel.
Deliberare utilia, mora tutissima est.
Demens est, quisquis praestat errori fidem.
Deos ridere credo, cum felix vocat.
Despicere oportet, quod possis deperdere.
Didicere flere feminae in mendacium.

et fama perit et virtutes fere omnes hinc exulant; plane ut Hesiodi hocce; malum lucrum aequale dispendio; et Pindari, Quod praeter justum est dulce, exitium habet amarissimum. Vide Erasmi Adag. p. m. 481.

Damnum nisi ex abund.) Quo ditior quis est, eo divitiarum jacturae propior, nam nimiae opes, magnae jacturae locum faciunt. Dives enim naufragium, fures, hostem, ignota pauperi pericula extimescet: vid. Sen. de Tranq. c. 8. et Lact. de cultu D. 7: 12.

De inimico ne loquare) Erasmus: Si cogitas nocere inimico, cave loquaris male: cavebit enim ille. Stultum est igitur maledicere. Nam si amicus est, inique facis: sin inimicus, minus illi nocebis. Alii, si cogites, legunt. In seqq. noster, satius est dissimulare, quam vel ulcisci. Et mimus Gruteri: pejora multa cogitat mutus dolor. Consilia in hostes, occulere, prudentiae est; quod in Sabinis laudat Livius, scil. eos non ostendisse prius bellum quam intulisse. Monemur et heic a gentili, ne maledictis inimicum laedamus, si ulcisci nequeamus: sed sanctior Philosophia Christi altius surgit, ut ne cogitemus quidem male.

Deliberandum est diu) Erasmus: De quo non potes, nisi semel statuere, veluti de matrimo-

Ἡ ζημία πέφυκεν ἐκ περιουσίας.
Ἀφαιρετὸν γένοιτο πᾶν ἀγαθὸν δοτόν.
Ἐχθροῦ φρονῆσαι μᾶλλον, ἢ λαλεῖν πέρι.
Πολλαῖσι σοφία σκέψεσιν διδάσκεται.
Ἐν τῷ διαπορεῖν καιρὸς ἔσθ᾽ ὅτ᾽ ἀπόλλυται.
Βουλευτέ᾽ ἐςὶ, δὴν τὰ ἅπαξ κυρωτέα.
Ἀθῶός ἐςὶ, χρηςὰ βουλεύειν, τριβή.
Ὅςις πέποιθε τῇ πλάνῃ, παραφρονεῖ.
Θεοὺς, καλοῦντος εὐτυχοῦς, γελᾷν δοκῶ.
Καταφρόνησον κτῆσιν, ὧν ὀλεῖν δύνῃ.
Δεινὸν τὸ θῆλυ δακρυοπλαςεῖν γόους.

nio, de hoc diu deliberandum est, priusquam aggrediaris.

Deliberare utilia) Erasmus: Tutissimum est, esse lentas consultationes: nam praecipitata consilia plerumque sunt inauspicata.

Demens est, quisquis) Est hic mimus, Senecae sententiis interseritur de benef. 4: 36. Non tantum quod temere promisi, retinebo; sed quod non recte dedi, repetam: demens est, qui fidem praestat errori. Non praestandam esse fidem, id est promissis non standum, ubi sit error, etiam ratio dictat. Vel sic: non cuivis rumori est credendum, nec aures ad quemvis levissimum rumusculum et auditionem advertendae: Cic. de pet. Consul. artus, dicit, et nervos esse sapientiae, non temere credere.

Despicere oportet, quod possis deperd.) Alii: aspicere oportet. Erasmus: Serva quod nolis perire. Oculus autem, hoc est, praesentia domini, optimus rei custos.

Desunt inopiae multa,) citatur a Sen. ep. 108. Alii legunt: parva et pauca inopiae desunt. Avaritia heic inopiae opponitur ut indiga; supra vero, luxuriae, ut abundans.

Didicere flere feminae) Erasmus: id est, femina nunquam hoc dediscet: in hunc mulierum fletum plurimi veterum consentiunt: Ovidius:

Dies quod donat, timeas; cito raptum venit.
Difficilem habere oportet aurem ad crimina.
Dimissum quod nescitur, non amittitur.
Discipulus est prioris posterior dies.
Discordia fit carior concordia.
Discute quod audias omne, quod credas proba.
Diu apparandum est bellum, ut vincas celerius.
Dolor animi gravior est, quam corporis dolor.
Dolor decrescit, ubi, quo crescat, non habet.

Ut flerent oculos erudiere suos;

idem alibi:

Quin etiam discant oculi lachrymare coacti;

et Cato 3: 21.

Struit insidias lachrymis cum femina plorat;

ad quem locum vide opt. Parentis notas: item mimum Gruterianum, muliebris lachryma condimentum malitiae est. Etiam idem fatetur Seneca l. 1. cap. 12. et consol. ad Helv. 16. et acutissime de Tranq. 15. In simulationem etiam simplicissima res, dolor, venit.

Dies quod donat) quidam codices habent; dives quod. Erasmus: Quod subito contingit, subito solet auferre fortuna; fortasse teneas legendum pro timeas.

Difficilem oportet) Erasmus: Ne facile credas accusanti quempiam. Plautus in Pseud. 1: 5. lepide satis et vere hac in re: homines, ait, qui gestant, quique auscultant crimina, si meo arbitratu liceat, omnes pendeant, gestores linguis, auditores auribus. Ideo et Plinius copiosas Trajano habuit grates, quod delatorum criminationi nusquam aurem adverterit. Pan. cap. 34.

Dimissum quod nescitur) Erasmus: Non est damnum quod non sentis. Etiam hunc auctoris versiculum inter acutiores ejus numeres, quem ita Seneca extulit ep. 4. Nullius rei amissio facilior est, quam quae desiderari amissa non potest; et

Χρόνου γ' ὕποπτον δῶρον, ἁρπάζει ταχύ.
Δυσηκοεῖν δεῖ πρὸς τυχόντ' ἐγκλήματα.
Ὃ φροῦδον ἠγνόηκας, οὐκ ἀπόλωλέ σοι.
Μαθήτρι' ἐςιν ἡ 'πιοῦσα τῆς πρὸ τοῦ.
Ὁμόνοια μείζων ἐκ καταλλαγῆς ἔφυ.
Δοκίμαζ' ἀκούσας, μηδὲ πιςεύσῃς μάτην.
Νίκη ταχεία δεῖ παρασκευῆς μακρᾶς.
Ψυχῆς βαρύτερον ἄλγος, ἢ τὸ σώματος.
Φθίνοιτ' ἂν ἄλγος μὴ αὐξάνειν ἔχον πρόσω.

ep. 30. Demens qui timet, quod non est sensurus; et ep. 42. Scies non damnum molestum esse, sed opinionem damni, nemo illa perisse sentit, sed cogitat; idem de brev. vitae 8. Tolerabilis est jactura detrimenti latentis.

Discipulus est prioris) Erasmus: Quotidianâ rerum experientiâ reddimur prudentiores; vide Zving. p. 69 et 1379. Apposite Livius 12: 39. Meliores, prudentiores, constantiores nos tempus diesque facit. Hinc etiam dies priores *μάρτυρες σοφώτατοι* Pindaro dicuntur; et aliis vitae magistri. Hinc etiam tam multa in lucem dies et longioris aevi diligentia extraxit, et indies extrahet.

Discordiâ fit) Erasmus: Amantium irae amoris redintegratio est. De Cinna refert Sen. de clem. 1: 9: quod Augusto primum hostis, tum proditor fuerit, post vero amicissimus et solus haeres relictus; idem de ira 2: 34. de hostibus Romanis; quod fidelissimi socii facti sint: plane ut mimus alius; ex lite multâ, gratia fit formosior.

Diu apparandum est) Erasmus: Qui in aggrediendo nimium properant, aliquando tardius conficiunt. Mora in apparando non dispendium est, sed lucrum ad negotium cito conficiendum.

Dolor decrescit) Erasmus: Quum malum venerit ad summum, tum necesse est, ut fiat remissius. Argute utitur ambiguâ doloris voce. Ad

Ducis in consilio posita est virtus militum.
Dulce etiam fugias, quod fieri amarum potest.
Dum vita grata est, mortis conditio optima est.

hunc alludit Sen. in Quaest. Nat. 3: 27. Dolor vim suam perdit in eo, qui ultra sensum mali, miser est.

Ducis in consilio) Erasmus: Frustra sunt fortes milites, ni ducis prudentiâ regantur. Inter belli conficiendi requisita maximum est ipsa ducis electio, qui pluris consiliis, quam juvenes hastis et viribus pollet; omnis enim multitudo, et cetera belli adjumenta, absque prudenti ductore, non aliud ferme sunt, quam ingentes machinae, sine perito instructore, aut vastum corpus, absque rectore, animo: hinc parva manu integer persaepe exercitus funditur; hinc caeso vel mutato imperatore militum mox fortuna, spes et animus nutat et vacillat; vid. Liv. hist. 19: 3. Flor. 1: 27. et Rupert. ad eum p. 8 et 26 et 33. et Flor. 2. 18. 11. cum Freinshem. et Richt. axiom. histor. 266.

Dum vita grata est) Erasmus: Tum optimum est mori, cum adhuc dulce est vivere. Scaliger: Propterea dixit Martialis [XI, 56, 15.]:

Rebus in angustis, facile est, contemnere vitam.
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Esse versum seculo Augusteo dignum, inde liquet, quod mox insequentium ingeniis apprime arriserit, ut Senecae in adulatoria ad Polyb. consolatione c. 28. Est mihi crede magna felicitas, in ipsa felicitate moriendi; et in excerptis eidem falso adscriptis: Optimum est mori, quum juvat vivere: adde ejusdem consol. ad Marciam cap. 20. Mors de nullis melius merita est, quam de his, ad quos venit, antequam invocaretur; et ep. 54. f. Illum lauda et imitare, quem non piget mori, cum juvat vivere. Etiam Syrus noster in sequentibus: mori est felicis antequam mortem invoces; item post paulo, nunquam melius morimur homines, quam

Βουλὴ ϛρατηγῶν ἐϛὶν ἀνδρεία ϛρατοῦ.
Καὶ γλυκὺ παραιτοῦ δυνατὸν ἐκβῆναι πικρόν.
Εὐημεροῦσιν αἵρεσις θανάτου καλή.

ubi libenter viximus. Quibus in locis maturior mors et brevior lucis hujus usura ut optima et felicissima praedicatur, ideo, quia comparatione instituta inter illa bona, quae hominibus eripiuntur, et quae mala illis remittuntur, aut a quibus liberantur, plus est remissum, quam ereptum, ut loquitur Seneca cons. ad Polyb. c. 28. Omnis enim vita, perpetua est animi nostri anxietas, et Stoicis paene supplicium quoddam, atque in naevos et vitia continuum iter; quare cum iis optime agi putabatur, qui ante duriora senilis aetatis fata, et lassitudinem, ante moriendi vota, etiam in ipso flore et principiis, in suorumque amplexibus et fomentis, ad altissimam tranquillitatem, mature e vivis excesserunt. Quo sensu durior erit mortis conditio, quando post varios exantlatos labores et plurima exhausta taedia, per canos et rugas, per languores, ad frigidam et fessam velut mortem, transeundum est. Accedit, quod eorum abitum, qui sero fato concedunt, major desolatio et orbitas, vidui plerumque thalami et luctuosiora desideria, graviorem reddant. Cupediarum etiam finis, in ipsa suavitate et dulcedine, ut optimus commendatur. Hinc Comicus Eunuch. 5: 5. Pro Jupiter, nunc tempus profecto est, cum perpeti me possum interfici; ne vita, aliquâ hoc gaudium contaminet aegritudine.

APPENDICIS

LOCO ADJICERE LICEAT

FRAGMENTA NUPER REPERTA,

quae publici juris fecit Julius Quicherat, in Ephemeridibus, quibus titulus: Bibliothèque de l'école des Chartes. Tome II. Deuxième Livraison, Nov. — Déc. Paris 1840. p. 115. ss. ubi inter alia ita praefatus est:

„FRAGMENTS INÉDITS DE LITTÉRATURE LATINE. ...

Tous les morceaux qu'on va lire sont tirés de manuscrits ou de copies de manuscrits dont le plus moderne n'a pas moins de huit cents ans. Je ne jure pas qu'ils soient tous inédits, mais je les crois tels. Je les ai pris comme je les ai trouvés; commentés selon que j'ai pu le faire; mis en ordre autant que la diversité des matières l'a permis. ...

I. Dans la collection du bénédictin D. Grenier, sur la Picardie, [1]) se trouve, je ne sais par quel hasard, un feuillet de papier sous ce titre: Proverbia veteris scriptoris anonymi, quorum pleraque esse videntur Publii Syri et aliorum qui in vulgatis editionibus post Phaedri fabulas eduntur. E msto. cod. Reginae Sueciae, X. saec. num. 170, in bibl. Vaticana. Cette copie, d'une écriture moderne, renferme en effet cent onze pensées, dont la plupart appartiennent à Publius Syrus ou à Sénèque; mais en voici une vingtaine que je n'ai rencontrées ni dans l'un ni dans l'autre de ces auteurs, ou bien qui s'y trouvent exprimées d'une manière différente:

1. *Boni mores sibi semper placentes permanent.*
2. *Gravius irascitur qui quod dolet deo commendat.*
3. *Multi dum falli putant fallere docent.* [2])

---

1) Paquet 15, nº 5. [Quicherat.]
2) Sénèque, Epist. 3. ad Lucil. „Nam quidam fallere docuerunt dum timent falli." [Quicherat.]

4. *Non est hominis major stultitia quam putare se amari ab his quos ipse non diligat.*
5. *Non qui jussus aliquod sed qui invitus facit miser est.*
6. *Nullum laborem recusant manus ab aratro ad arma translatae.*
7. *Omnis qui amicus est amat, sed non omnis qui amat amicus est.*
8. *Omnia sibi qui se subjicit rationi.* 3)
9. *Omnia cum amico communia habebit qui multa cum homine.*
10. *Omnium est communis inimicus qui hostis est suorum.*
11. *Oriente sole consilium, occidente convivium.*
12. *Plerosque hominum in domibus saevissimos, in alienis humillimos servos.*
13. *Plurimi quot servos totidem hostes habent.* 4)
14. *Quae est ars parandae amicitiae? Si vis amari, ama.* 5)
15. *Securus obit qui vitia sua ante se immolat.*
16. *Semetipsum laedit cum ebrio qui litigat.* 6)
17. *Sic prodesto amico, ne tibi noceas; sic age alienum, ut tuum non obliviscaris negotium.*
18. *Spiritum quem unus tibi dedit, licet minentur multi, non perdes, nisi unus abstulerit.*
19. *Stultum est si velit imperare aliis qui sibi nescit.* 7)

---

3) Sénèque, Epist. 37: „Rationi te subjice, si vis omnia vincere." [Quicherat.]

4) Sénèque, Epist. 47: „Proverbium jactatur, totidem esse hostes quos servos." Festus rapporte le même adage en ces termes: „Quot servi, tot hostes," et il combat à cette occasion l'opinion de Sinnius Capito qui prétendait qu'on devait dire: „Quot hostes, tot servi." Voy. Festus, au mot Quot servi. [Quicherat.]

5) Sénèque, Epist. 9: „Quaeris quomodo amicum cito facturus sis? ... Hecaton ait: Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficae carmine: Si vis amari, ama." Martial, VI, 11: „Hoc non fit verbis, Marce; ut ameris, ama." [Quicherat.]

6) Publius Syrus: „Absentem laedit cum ebrio qui litigat." Semetipsum change complètement le sens. [Quicherat.] Vid. supra pag. 10.

7) Publius Syrus: „Stultum est imperare reliquis qui nescit sibi." [Quicherat.]

20. *Stultus est qui multitudinem in loco timet per quem nisi unus potest transire.*

21. *Velle bonum fieri magna pars est bonitatis. ...*

II. — Pierre Burmann a publié, d'après Pithou, [1]) sous le titre de Monosticha de moribus, une série de trente-trois vers hexamètres, renfermant chacun une vérité morale ou un conseil de sagesse. Monsignor Maï a donné depuis [2]) une pièce analogue, qui ajoute quelques vers inédits au nombre de ceux que Pithou avait recueillis. J'ai trouvé dans les mss. seize hexamètres nouveaux du même genre, qui ne sont ni dans l'édition de Burmann ni dans celle du Msgnor Maï. Quinze m'ont été fournis par le beau Ms. de la bibliothèque royale, n° 8069, dont M. Magnin a donné la description dans le premier volume de ce recueil. [3]) Ils s'y trouvent disséminés sur plusieurs feuillets ainsi qu'il suit:

F° 3, V° *Si piget admissi, committere parce pigenda.*
Quod nocet, interdum, si prodest, ferre memento;
Dulcis enim labor est cum fructu ferre laborem.
Laetandum vita; nullis est morte dolendum. [4])
Cur etenim doleas a quo dolor ipse recessit?

F° 4, r° *Spes facit illecebra[m] visuque libido movetur.*
Non facit ipse aeger quod sanus suaserit aegro.
Ipsos absentes inimicos laedere noli.
Ulcus proserpit quod stulta silentia celant.
Nemo reum faciet qui vult dici sibi verum.
Vincere velle tuos satis est victoria turpis.
[Non] nunquam vultu tegitur mens tetra sereno.
Quisque miser, casu alterius solatia sumit.

F° 127, V° *Saepe labor siccat lacrymas et gaudia fundit.* [5])
Vera libens dicas, quamquam sint aspera dictu.

---

1) Anthol. lat., t. I, p. 571. [Quicherat.]
2) Classic. auct. e codd. Vat. edit., t. V, p. 461. [Quicherat.]
3) Bibliothèque de l'Ecole des Chartes, t. I, p. 522. [Quicherat.]
4) Le Msc. porte: Laetandum est vita nullis morte dolendum. [Quicherat.]
5) Correction excellente de la leçon par M. Maï, l. c. Saepe dolor sicut lacrymas et gaudia fundunt. [Quicherat.]

Le seizième est ainsi conçu, sur la copie de D. Grenier dont j'ai parlé dans le paragraphe précédent:

Vir constans, quidquid coepit, complere laborat.

Au feuillet 128, V° du même volume 8069, sont écrits sous la rubrique de Monosticha ethica quelques ïambiques de Publius Syrus. Je signale celui-ci qui n'est pas dans les éditions:

Simulator ore decipit amicum suum.

Le premier feuillet du même Ms. présente la plus étrange confusion de vers et de prose, d'épigrammes de Martial, de stances d'Ovide, de pensées profanes et de maximes chrétiennes. J'ai distingué dans ce chaos quelques distiques sentencieux que je n'ai vus nulle part ailleurs. Je ne sais à qui les attribuer. Une réclame marginale encadrée de cinabre, et conçue en ces termes, „item Marcialis," cherchait en vain à tromper le lecteur. Non-seulement ces vers n'appartiennent point à Martial, mais ils sont d'une époque tout-à-fait postérieure, comme on peut en juger:

Disce tuas, juvenis, ut agat facundia causas;
Ut sis defensor, cura salusque tuus.
Non volo me summis fortuna, neque applicet imis; [1])
Sed medium vitae temperet illa gradum.
Invidia excelsos, inopes injuria vexat,
Quam felix vivit quisquis utraque caret!
Quae natura negat confert industria paucis:
Vix sunt divitibus quae bona pauper habet.
O vos, est aetas, juvenes, quibus apta legendo,
Discite: eunt anni more fluentis aquae;
Atque dies vacuis, dociles, non perdite rebus:
Nec redit unda fluens, nec redit hora ruens.
Floreat in studiis virtutum prima juventus,
[*Pervigeat posthinc*] [2]) *ut digno laudis honore.*

Toutes les maximes contenues dans ce paragraphe appartiennent évidemment à la philosophie prophane. Je les attribuerais volontiers au quatrième siècle.

---

1) Le Ms. porte: applie summis. [Quicherat.]
2) Le Ms. porte: Perugeat ut digno laudis honore. [Quicherat.]

III. — Je suis loin d'avoir fini avec le Ms. 8069: c'est de lui que je tiens presque toutes mes richesses. Quelques lignes d'une écriture extrêmement fine, placées comme gloses en marge du f° 2, m'ont fourni huit pensées qui appartiennent à Caton, si l'on en croit les mots „Sentencie Catonis" tracés au dessus en lettres capitales.

L'élégance avec laquelle ces pensées sont écrites, autoriserait suffisamment à ce qu'on les attribuât au bel âge de la littérature: et d'après ce qu'on sait de Caton, rien n'empêche que ces courts fragments ne s'ajoutent à ceux que nous avons déjà de lui. ...

Voici le texte du Ms. 8069.

Inter iratum et insanum, nihil nisi dies instat. Alter enim semper insanit, alter dum irascitur.
Alteri semper ignosce, tibi nunquam.
Invidiae cede.
Somno pro servo, non pro domino utere.
Diu deliberato, cito facito.
Virtus maxima est bonos nosse.
Cum alios, tum te maxime verere.
Sine aliis saepe, sine te nunquam esse potes."

Ut charta impleatur inserere liceat et Publii Syri sententias in Codice Turicensi repertas, quas publici juris fecit Jo. Caspar Orellius: *) (minus certae asterisco notatae sunt:)

Cum semet vincit sapiens, minime vincitur.
Contra hostem aut fortem oportet esse aut simplicem.
* *Cito culpam effugies, si incurrisse poenitet.*
* *Cum inimico ignoscis, amicos complures paris.*
Etiam sine lege poenast conscientia.
Decima hora amicos plures quam prima invenis.
Famulatur dominus, ubi timet, quibus imperat.

---

*) Phaedri fabulae novae XXII. e Codice Vaticano redintegratae ab Angelo Majo. Supplementum editionis Orellianae. Accedunt Publii Syri Codd. Basil. et Turic. antiquissimi cum sententiis circiter XXX. nunc primum editis. Turici 1832. p. 54. s.

* *Frenos impone linguae, peni saepius.*
* *Gravat, quod fronte laeta das, tristi accipi.*
Humilis nec alte cadere nec graviter potest.
Honestatem laedes, quum pro indigno petes.
Mala est inopia, quae nascitur ex copia.
* *Non leve beneficium praestat, qui cito negat.*
* *Placet amicis olus, quod mens condit bona.*
Petit, qui irascitur, periculum sibi.
Qui semet accusat, crimine non indiget.
Quoscunque calamitas quaerit, facile invenit.
Quod est venturum, sapiens quasi praesens cavet.
* *Reddit, non perdit, qui suum quoique tribuit.*
* *Sua qui servat, suis servat communia.*
Satis est hostem superare; nimiumst perdere.
Suspicax animus omnium damnat fidem.
Suspicio probo homini (probatis? probato?) tacita injuriast.
Satis disertust, e quo loquitur veritas.
Tuti sunt omnes, unus ubi defenditur.
Ubi libertas cecidit, audet nemo loqui.
Vitia otiosa regnumst et curae minus. [1])
Ubi omnes peccant, spes querelae tollitur.
* *Ut plures corrigantur, rite* (recte) *unus perit.* [2])
* *Virtuti omni impedimento falsus est pudor.*
Ubi judicat, qui accusat, vis, non lex, valet.
* *Ubi emas aliena, disperdes semper tua.*

Praeterea egregie restituitur v. 768. Orellii. (Cfr. Bothium p. 257.)

Ubi nil timetur, quod timeatur, nascitur.

---

1) Id est: „et in otiosa vita praeterea minus curae est quam in Regno." [Orellius.]
2) rite et recte in Codd. ubique permutantur. [Orellius.]

NOTULAE EDITORIS.

Religionis causa, ut in posterioribus celeberrimi Swedenborgii operibus, ita et in hoc ejus tyrocinio, notare liceat omnia, in quibus, quantum animadvertere potui, editio mea ab editione principi anni 1709 discrepat; at sine dubio plurima Errata ipse autor indicaverat, cum ultima rarissimae ejus editionis pagina (62) in calce habeat sequentis alicujus paginae custodem: „Effugere", quem quidem in excuso quo utebar exemplo non sequitur ulterior aliqua pagina; sed idem caret etiam titulo, quem in apographo inveni, generaliore, scil. „L. Annaei Senecae et Publii Syri Mimi Selectae Sententiae quas Publico examini modeste submittit Emanuel Swedberg", pro quo hic habes „L. Annaei — 1841."

Pag. 4. l. 15. legi ἠ̓ὒ pro ἦὒ; l. 17. Ἔσσῃ pro Ἔσση; l. 24. ἕψεταί pro ἕψεται; l. 26. εὖχος pro εὔχος.
— 5. l. 6. 31. p. 18. l. 9. p. 20. l. 28. p. 29. l. 3 infr. mimograph. pro mimiograph.
— 8. l. 8. Si pro si; l. 20. vivamus pro viamus.
— 10. l. 10. τύπτεις pro τύττεις.
— 11. l. 5. γυναικὸς pro γυναικός.
— 12. l. 15. Sirac. pro Syrac.; l. 21. Citat pro citat.
— 13. l. 18. σὲ, κᾆν pro σε, κᾷν; l. 19. vetus pro verus.
— 14. l. 10. Versus pro versus; l. 30. Nostro pro nostro.
— 15. l. 1. κακά pro κακὰ; l. 3. λῇ ... δρᾷ pro λῆ ... δρᾶ; l. 5. τιναχθεὶς ... δᾲς pro τινα χθεὶς ... δᾶς.
— 17. l. 6. φίλου pro φιλου.
— 18. l. 34. Adi pro adi; l. 36. toto pro totos.
— 21. l. 3. ἐς' pro ἔς'.
— 21. l. 8. ἀλγοῦσα pro ἀλγοῦσα.

Pag. 22. l. 26. γρῆϋς ὡραΐζεται pro γρῆυς ὡραίζεται; l. 32. cothornizat ... debacchatur pro cothonisat ... debachatur.
— 23. Δῆθ ... ἐβίωσε pro Δῆθ ... ἐβίοσε.
— 25. l. 20. p. 31. l. 21. Aesope. pro Aesopae.
— 25. l. 21. μὲν pro μὴν.
— 27. l. 17. ἡδίςη ἡ pro ἡδίςη ἢ.
— 29. l. 1. δοθείσης pro δωθείσης; l. 3. ἥν τις pro ἥντις; l. 4. ἐπαρκῶν pro ἔπαρχῶν; l. 19. non nemo pro nonnemo.
— 31. l. 2. Ὁ pro Ὃ; l. 6. Ἦν ... δῷς pro Ἦν ... δῶς.
— 32. l. 31. Sirac. pro Syrac.
— 34. l. 8. hominum pro homini; l. 16. Carum pro carum.
— 36. l. 25. θεῶν pro θείων.
— 39. l. 3. τυφλώττουσ' pro τυφλώτουσ'; l. 6. περ pro περ'; l. 8. ἐατέ' pro ἑατέ'.
— 40. l. 29. Adde pro adde.
— 41. l. 7. τί ... τί pro τὶ ... τὶ; l. 9. συνήθη pro συνῄθη; l. 23. ferimus pro ferimur, ut p. 40. l. 10.
— 43. l. 4. προστρίβεις pro προςρίβεις; l. 7. δυστυχοῦντα pro δυςυχοῦντα; l. 8. δάκρυα pro δέκρυα; l. 10. pro Ὦι pro Ὦ.
— 45. l. 2. ἐς' pro ἕς'; l. 3. οὖς ... ποθεῖ pro οὗς ... ποθεῖν; l. 22. bene- pro beni-; l. 24. Exempla pro exempla.
— 47. l. 7. τριβή pro τριβὴ.
— 48. l. 37. desiderari pro desiderare.
— 49. l. 3. ἀπόλωλέ pro ἀπολωλε; l. 4. πρὸ τοῦ pro προτοῦ.
— 51. l. 22. thalami pro talami.

— 53. l. 2. ipse pro ipso.
— 54. l. 35. laetandum pro laelandum.

Punctum fixi p. 50. l. 23. post vitam.
— — loco semicoli p. 35. l. 34. post sunt.
— — loco commatis p. 32. l. 18. post hor.

Colon fixi loco puncti p. 11. l. 22. post rem; p. 12. l. 14. post vendidi; l. 19. post poenitet; p. 18. l. 32. post suffusi; p. 20. l. 26. post inemtis; p. 29. l. 28. post injicere; p. 35. l. 32. post tegeret; p. 36. l. 11. post sensu; l. 22. post versiculo; p. 38. l. 31. post Gruteri; p. 41. l. 26. post 3; p. 46. l. 20. post extimescet; p. 48. l. 26. post 1; p. 50. l. 4. post 3; l. 17. post 19. et post 7; p. 51. l. 25. post 3.

Semicolon posui loco puncti p. 7. l. 15. post vocantur; p. 8. l. 17. post impendet; p. 14. l. 31. post sapit; p. 17. l. 11. post amicitiae; l. 30. post ire; p. 19. l. 5 infr. post potest; p. 23. l. 12. post captare; p. 28. l. 29. post ret; l. 30. post accipis; p. 32. l. 18. post ambitio; l. 29. post inciderit; p. 37. l. 21. post signa; p. 43. l. 18. post habet; p. 44. l. 31. post est; l. 34. post potest; p. 48. l. 10. post suos; l. 12. post coacti; l. 14. post plorat; l. 23. post fortuna; l. 37. post potest; p. 49. l. 11. post rus; l. 13. post cogitat; l. 16. post prudentiores; p. 59. l. 35. post invocaretur; l. 36. post invoces.

— — loco commatis p. 17. l. 5 infr.

Comma delevi p. 21. l. 19. post domitum.

— adjeci p. 17. l. 32. post Annaeus; p. 22. l. 32. post anus; p. 24. l. 29. post flammae; p. 33. l. 5. post κυριεύη; p. 36. l. 29. post coenare; p. 41. l. 29. post est.

— posui loco puncti p. 17. l. 22. post est; p. 26. l. 16. post potest; p. 29. l. 18. post obligasti; p. 49. l. 1. post δῶρον.

Adjeci p. 50. l. 22. [XI, 36, 13.]

CAMENA BOREA

CUM

HEROUM ET HEROIDUM

FACTIS LUDENS:

SIVE

FABELLAE

OVIDIANIS SIMILES

SUB

VARIIS NOMINIBUS SCRIPTAE

AB

EMAN. SWEDBERG.

[*Swedenborg.*]

AD FIDEM EDITIONIS PRINCIPIS ANNO 1715 GRYPHIS-WALDIAE EXCUSAE

DENUO EDIDIT

Dr. JO. FR. IM. TAFEL,

REGIAE BIBLIOTHECAE UNIVERSITATIS TUBINGENSIS PRAEFECTUS.

TUBINGAE

CURAM ADMINISTRAT „Verlagsexpedition."

1845.

LECTORI BENEVOLO

s. p. d.

E d i t o r.

Poëticum hoc, quod Tibi hic offero, opusculum tam rarum est, ut per integros 34 *annos, quibus Auctoris scripta ardenti studio quaerebam, nullibi illud reperire potuerim, donec tandem benevolentia Amplissimi Domini Barthold, Professoris in Universitate Gryphiswaldiae ordinarii, exemplum quod ibi in Bibliotheca Academica exstat, mihi commodatum est; quod, ut primum visum est, omnem dubitationem exemit, quin a celeberrimo Eman. Swedenborgio, tunc* 27 *annos nato, (cujus opera theologica annis* 1749 — 71 *evulgata, nunc omnes vere Eruditi optimo jure admirantur* *),) *editum sit; nam non modo nomen ipsius, quod, antequam a Regina Ulrica Eleonora sub nomine « Swedenborg » nobilitatus est, a patre Jespero Swedberg, Episcopo Scarensi, traxit, plenissime praefert* **), *sed etiam ipsius tunc temporis stylo prorsus congruit, et praeterea in Actis Literariis Sueciae anni* 1724 *publicatis Upsaliae ipsi adscriptum est pag.* 588. *s. Nil erat igitur cur horum « Actorum » auctores illud inter « Anonyma » referrent, addentes ad « Andreae Antonii Stiernman Anonymorum centuriam primam ex Scriptoribus gentis Svio-Gothicae. Stockholm.* 1724. » *pag.* 587.:

---

*) Conf. Abriß des Lebens und Wirkens Eman. Swedenborgs 2c. Stuttgart und Cannstadt, Verlag von Becher und Müller. 1844. S. 333 — 335. 341 — 352.

**) Integer enim archetypi titulus est: „Liber I. Camena borea cum Heroum et Heroidum factis ludens: sive Fabellae Ovidianis similes sub variis nominibus scriptae ab EMAN. SWEDBERG, Sueco. Gryphiswaldiae, Litteris Danielis Benjaminis Starckii, Reg. Acad. Typogr. 1715."

ad Dominum: Quo viso, augurari Te velim ex vultu animum Ejus; si frontis sit porrectioris, et instar multa cum Clariis *suis jocantis, tunc insere Te Illis, et adplica Te lateri Ejus, et instar famulantis tene unum subsellii Ejus brachium, et loquentem Illum, cum adhuc Te nesciat, audi. O Camena! si Illum Latiali Tuoque sermone loquentem audires, quas non promtissimi oris et ingenii delitias, quam non cultae vocis elegantiam haurires; vel si videres literas nomine Ejus notatas, si primae aetatis Ejus Carmina, quot non in illis mistos venustate jocos, quas non purissimi aevi voces, quales* Maecenatis *olim ad* Augustum *fuerant, videres: sed ut haec tacite mireris velim, nec in laudes Ejus multa eas, satis erit si Illum* Apollinem *Tuum vocites;* jocare *modo parumper cum Illo, si Tibi venia sit, sed jocis intersere seria, et refer* fabellas *quas Tibi in aurem dixeram: narres si placeat* Puellam *quandam ipsamque nostram* CORONIN *aut* OLIVIN *Aliumve qui et notus simul et ignotus est: et fac ut redire Tibi liceat jam vespere jamque mane, et sub his crepusculis ad dextram Ejus jacere. Si placuerit Ei jocus Tuus, sique Illi grata sis, reminiscere tunc precor Vatis Tui, et amoenis vestris memoriam Ejus injice: sed si retulerit ignotum esse, dic Illum statim nomine, dic et* Parentem *Ejus et in testes voca utriusque* juventas *quae amicissimae fuerant, et jam cum in primam senectam abierint, etiam amore junctissimae sint. Cum notus factus sim, non ultra moras necte, revola statim, narraque mihi Tuas, quas* luseris *cum tanto Viro* fabellas: *si Te amaverit, Tecumque jocatus fuerit, ô ter iterumque illud renarra: et talium Narratrix mihi dulcior gratiorque eris, quam si mihi multa ex* hederis *et* HELICONE *Tuo munera datura esses.*

FABULA II.

Charta facta Vespertilio.

Scribit hic ad Lectores, *seque excusat, quod* Fabellas *suas non Carmine scribat: dicit, fuisse Se* VER-

salius *dum illas scriberet, et quidem in* Luco *illo qui est prope Arcem, et ibi in nemore, ubi* Balneum Apollinis *est: Postque primam Auroram visum Sibi esse Phoebum exorientem, aque Illo spoliatum esse citharâ et nervis ipsâque etiam Chartâ, et omnia illa in arboris cujusdam ramum delata esse, et versa in* Vespertilionem.

Versalius eram: *Lucus* ibi est conterminus Arci Palladii Herois: Arx coronat lucum, lucusque Arcem: circum circum exiguum esse *Olympum* putes; ubique stant Deorum signa et facies, ubique *marmora,* quae diem oculumque Tuum nitore quodam hebetant: nullum non simulachrum suas habet delitias, possidetque in Se quid quo vivat, et per quod Tecum fere loqui et quis sit qualisque fuerit indicare possit: tanta Illis Sculptoris ars inest. Ad dextram sunt *gradus marmorei,* qui Te in *Roseta* demittunt, ubi vernis temporibus *Lilia,* quae tantum Heroa referunt, *fumum* suum *nidoremque* exhalant. *Vasa* et *urnae* ornant floreta, quae certant et pugnant cum reliquis ut primum habeant oculum Tuum, unaque alteri Tui palmam rapit, raptamque amittit. Ipse Candore hoc tanquam radiis circumfusus me in *Apollinis Balneum* (ita enim vocatur in uno nemore marmor) proripio; ubi *Thetis* et *Nereides* circumstant et lavant *marmoreis* palmis *Deum,* ipsismet *veris Deabus,* si Deae essent, invidiosae: nam si *Marinae Illae Puellae* adessent, illam Sibi formam, tamque subactum corpus, *niveasque* has mamillas, ipsumque hoc munus optarent: opus est Divini Deucalionis. Dextra laevaque *Equos* Ejus in pascua mittit, deest modo habena et effluens cum spumis anima quin rotis aptarentur. Nondum Aurora contigerat axem: sed dum oppositus huic *Appollini* sedeo, venit ab *undis* suis et a *Thetide Verus Ille,* radiosque suos matutinos in lacunar *simulati Hujus* transmittit; quod quia aureum erat, recipit illud *Venientis* lumen, receptumque in chartam meam referit: Charta *Phoebis* plenissima erat, digiti in *duplici Apolline* ibant, et pluma et litera *Illis* undique calescebat. Ipse ad adventum Ejus festivus *citharam*

plecto facioque ut Illa *volucribus* concordet; sed cum nervus incaluit igne Ejus, vah! exsilit ille digitis meis, et cum gemitu rumpitur; dum fidem ei proximam tango, etiam illa ultimum sonum canit; restant adhuc bini, unus e binis vale suum tinnule sonat. Ipse adhuc nescius minas esse *numinis nostri*, ad *tabellam* adque *mensam*, quae oviformis erat, redeo, et carmina ad geminum Phoebum pando, et palam facio *Deorum consilia, certamenque Palladis cum Marte, Ejusque in Leonta vindictam, multique orbis crimina;* sed ut haec verso venit aura et e digitis chartam meam vellit, illamque supra frondes aufert, locatque in Arboris Cacumine. Dum sequor Illam oculis, en loco Ejus stat *Volucris* pennis fere pellucida: una erat *Minyeidum* Nympharumque quae tot Deorum furta et Apollinis crimina quondam narrarunt; stridorem modo exilem edidit intellectum *Minyae Puellis*, credo per illum retulisse *fabellas*, quas a me magistro nossent, deque illis in *tenebris* loqui inque *medio Phoebo* silere velle.

FABULA III. et IV.

De Certamine Martis et Palladis pro Quinquennii Imperio.

Narratur Jovem partitum esse imperium Orbis in Filios, et statuisse unumquemque per Quinquennii tempus *vice sui Rectorem: Cumque* Mars *lustrum suum egisset, et succedi debuisset a Pallade, voluisse Illum adhuc alterum exordiri: sed a Parcis statutum esse, ut de Illo uterque* certarent, *utque evolarent Ambo e Coelo in terram, et qui primus esset, etiam lustri Rector foret: sed cum certarent, eodem momento Utrumque in orbem lapsum esse. Refertur dein, Parcas telae suae fatali intexuisse; scilicet, si staret ex aequo Victoria,* Europen *laturam esse de Illis Judicium: sed Illam detulisse illud ad* Leonta *nepotem suum: statimque electos fuisse ab* Illâ *Seniores orbis sui, qui coram Leonte pro* Marte *vel pro* Pallade *dicerent:* Mercellum *et* Coronin *gloriae Filiam loquutos fuisse pro*

Pallade, sed Meridamum *pro Marte: et tandem ostenso clypeo quodam caelato, decrevisse Leonta,* Martem *habiturum esse sequuturi lustri Imperium.*

Jupiter cum adhuc immensam annorum seriem adusque mundi finem et incendia rogosque superesse praevideret; et videret adolescere ingentem populorum copiam, et indies novis novisque Incolis terram adimpleri, et unamquamque Ejus glebam Habitantibus premi: Cum videret etiam immensam fore curam, uno sceptro unoque regimine tot gentes totque terras regere; hinc ut curas suas divideret, dividit etiam sceptri Sui moderamen, datque Coelitibus sua tempora, suaque munia; Quivis scilicet esset per *Quinquennii tempus* ordine supremus, essetque in orbe *vice Sui:* dedit Palladi suum, dedit Apollini Martique Reliquisque Deorum suum lustrum. Sed jus erat datum Parcis, ut Hominum orbisque totius fatis rite expensis, *quinquenne sceptrum,* Cuicunque Deorum Eis visum foret, darent. Adest tempus, Marsque imperium suum finierat, sed adhuc alterum exordiri bisque Sceptro frui voluit: Hinc ad Parcas saepe intempeste pergit, poscitque rursus ebur, petitque ab Illis fata; et minas adjicit, sed saepius blanditias intermistas minis. Pallas etiam Honorem temporis Sibi vindicat, aditque Sorores, et Illas munere et precibus et verbis Majestate sua dignis sollicitat. In ambiguo sunt Germanae, deliberant odiumque binorum Numinum timent: saepe cum de venientis lustri Rectoribus litem movent, stamina vitaeque Hominesque e digitis excidunt. Sed cum tenet colum suum fusumque Clotho, surgit Illa, currente tamen Rota; et, ô *Sorores!* ait, *quid nunc primum Consilii inopes simus; nostrum est dicere, quis quinquennii erit moderator: Sed quia uterque Nos minis et munere sollicitarat, caveamus ne flexibiles et victae videamur, motaeque ab Illis, in quos jus et arbitrium habemus. Uterque dignus est sceptro, quique dignior, hoc mereat: dicatur locus, dicaturque dies et hora, certent evolentque e coelis ambo, primusque pes qui orbis humum tangit, Victoris sit.* Vix edixerat Clotho, cum reliquae

palmis plauderent, inque plausu multorum Hominum fata rursus exciderent. Lex fit quod modo dictum fuit, excipiuntque verba staminibus, innectuntque illa telae, quam ipsa Lachesis digitis suis velociter expediit. Datur binis Superis Sors sua telae intexta, aperitur in Olympo, legitur, placetque arridetque quivis Deorum, et Sociae Suae auribus immurmurat, quem quisque putaret Victorem fore. Nulli non ludus praeter certaturis erat. Indicit tempus Apollo, reliquique Dii locum, quem designant in luco Dejodis Palladii Herois. *Lucus* erat Arci Ejus conterminus, ubi quisque Deorum sua habet nemora, suaque marmora: Area ibi est vix uno jugere Major *triumphalis* dicta, ubi Ars cum Delitiis naturae Filiabus sedes suas locarat: Valvas ibi trifores vides perpetuo Heroi Suo apertas, videsque Pyramides centum in locis tripatentes. Stat ibi in aere Victoria, premitque uno pede globum totius Orbis, tenetque alterum in aura volutura cum lauru in Venientis caput. Oppositum tenet latus Gloria, incincta tropbaeis *solido* innexis *aeri*, inque multa saecula custodiendis: et Unda ab omni latere sursum ex Aere exque Marmore in Formas Coronasque et Porticus evolat, inque Se Suamque originem relabitur. Locus placet, venit dies, carcer foret Olympus, campusque et Area Aether; Serenat diem nimbosque discutit et nebulas Apollo: Induit protenus Pallas humeros alis, induit plantas talaribus, sumitque velamina tenuissima: cincta fuit, ut dicere posses inamictam et amictam; transluxit candor, ut per undas ebur, ut lacteus per vitra latex, utque per velum cribrumque aura: spectat lustratque Amictum, ne quicquam sit quod ventilari possit, remoramque volatui facere: ventis inobjecta videt omnia; utque magis forent, etiam Mamillas e gremio paululum exstantes, sub queis putabat latitare posse Aeolum quendam, fasciolâ adstringit. Mars etiam Sagum Se superinjicit, nec nisi alas climat, relocatque pennas, ut minimum Aurae in illis occuleretur. Dat Apollo signum, volantque pariter, unoque pede e Carcere eque Olympo, trajiciuntque ocius quam fulmen aethera: Jupiter misisse dicitur una cum

illis ignem Suum, visurus quis ad Aetheris nubiumque confinia prior decideret: relictus erat ignis post multum tergi, flammaque nil Jovi Suo lucis dedit, qua posset in lapsu Quemvis internoscere. Scindunt nubem quae minima obstitit, augentque quovis oculi ictu lapsum, atque Aurae ventisque cum stridore multoque murmure illabuntur: Audires Illos tanquam centum supra caput Aquilas, centumque ad litora fluctus; incandescit ab Alarum elisu Aura, ignisque involvit Deos, similesque facit Signis e Coelo caducis. Volant directo tramite ut Aquilae in praedam suam, utque glandes e funda supra Caput ejectae in idem revolant. Stupet Hominum Deorumque turba. Marmora, quae ibi in luco erant, feruntur vitam quandam accepisse et rigescentia colla flexisse, arsisseque videre Quis Deorum Victor esset, et Cui tinnulis plausibus faverent: Nulla non frons et Arbor erat, quae non se levabat: multaque Nympha exseruit e corticibus Suis ora, et mox inseruit: et timuit ne corpora illisa terris in mille partes dissilirent. Ipsaque humus fertur intumuisse, unamque Ejus glebam cum alterâ certasse, quae Illarum prior Victorem pedem cum osculo exciperet. Homines apertissimis stant oribus, semperque oculis volucres Deos sequi, sed frustra parant. Deorum turba stat extensis palmis, animisque intra labella retentis. Nec mora cum omnium pectora saliunt, summo pede libat uterque terram: statque et silet uterque, altero in alterius oculis oculum figente, nescitque victum victoremne alterum videat. Poscitur judicium, silet *spectatrix turba,* nescitque quis primus retulisset terrae plantam: sine plausu stant *Coelites,* sine murmure; Cui favere debeant, nesciunt. *Pater* Illorum nunc primum inops judicii inopsque sententiae fuisse dicitur: *Famaque* pronissima volandi, in uno pulvere haeret: In ambiguo est cujusvis Oculus, Victor uterque dicitur et victus uterque, mereri palmam Mavors, mereri etiam Pallas. *Victoria* divisisse Laurum suam dicitur, et quam modo dextra, jam utrisque palmis tenuisse. Stat et ira et laetitia uterque mistus, *laetitia* quod non victus, *ira* quod non Victor fuisset,

referuntque Ambo pari iterum volatu victrices ad coelum alas.

Lachesis cum Certaminis fata intexuisset telae, praevidit neminem Deorum Victorem fore; hinc in uno Angulo legem inseruit, quod ad Europen deferretur *sceptrum*, si ab aequo victoria staret: Sors illa tenuissimis filis erat inserta, Nullique Deorum notata nisi Phoebo, et vix Illi, ni in medio coeli fuisset. Laudatur in coelo Parca, et a Jove super mensam acutior Apolline dicitur. Quisque Deorum tales etiam insidias adhuc invisas in Suorum textis latere putant et perlustrant, adque candidissimam lucem fata sua saepius percurrunt. Deferunt sceptrum ad Europen Arbitram Certaminis, at Illa ad nepotem Suum LEONTA, statuitque *Illum* pro Se *judicem*, convocatque ex Orbe Suo sapientiores, qui pro *Marte* aut *Pallade* coram judice Illo dicerent. ALBION et ultima Tempe *Antejum* legat novâ lauru redimitum, et incinctum pectora fasciolis: *Rhenus* Ejusque Coloni Virum Illustrem et Spectatissimum *Aquilejum: Sedani Accolae Mercellum* Atlantides Filium Nepotemque Jovis, a tribus Superis, Patre et Pallade Suadâque edoctum: Horum etiam in numerum veniebat *Meridamus*, et *Coronis* Leontis Amor. Delubrum erat Divis omnibus sacrum, quo Curia Fatorum lege statuitur. Datur Leonti ostrum, daturque sceptrum, duplexque Corona: ad laevum Ejus latus fatale Martis ebur in *ensem* desinens locatur, ad dextrum Palladis, quod in *Olivam* Se findebat: Ejus erat arbitrii e mensa quodcunque liberet, tollere; et uni Deorum dare, et Cuicunque daret, sequuturi lustri Rector foret: Venit CADUCIFER cum Jovis dictis, imperatque Illi nomine Superum, ut inter Deos litem, quam Parcae quamque Europe nollent, dirimeret: ad dicta haec subrubuisse Leon dicitur, paulumque recessisse, et oculis ad Coelum adque Cyllenium alterne flexis, *ô mi Divum nuntie!* dixisse, *quantum ad me invidiae quantumque odii e coelo Tuo affers, quid tale merui; ob quam culpam plector; et cur mihi hostem facis vel Pallada, vel Martem:* accipit simul utrumque Sceptrum, jamque

dat *Olivae*, jamque *Ensi* oscula; et ô si liceat, ait, reddo utrique Suum, Socioque litem non dirimo. Plejones Atlantisque Nepos ut acciperet quod Olympus Ei offerret, orat, utque Sibi Rectorem in Olympo eligeret.

Leon, accepto munere, statim ab utroque Numine donis verbisque et precibus sollicitatur. Ipsa Pallas non Illum, sed amorem Ejus Coronin adit, Illique perpetuum Leonta spondet, si in suas partes iret; tradit Ei simul imaginem suam cum parvo Aegide et mitiori Gorgone, et cum Olivula, suisque digitis collo Ejus subnectit, locatque ut pendeat apte, datque abitura osculum *Sibi* datque *Coronidi;* et *sim Tibi* cordi *apud Leonta*, ait, *mea Filia!* mox cum videt Antejum et Meridamum et Aquilejum, cumque in frontibus Illorum novas e Daphnide frondes, illas ibi perpetuo virides, illosque Apollini fore similes spondet; et insuper nomen, si pro Se starent, omnes Laurus supervicturum. Mars vero praeterit Mercellum et Coronin, Leonta modo moturus; hinc Ei pollicetur Gloriam divisumque Secum Imperium; et si *mihi sceptrum dedas*, ait, *fortissime Ducum! en dimidium Tibi offero, Rector eris mecum Olympi orbisque alter, sociatum Tecum Imperium desidero; non mihi illud posco, sed Tibi; da, Leon! cuicunque velis, sed Tui reminiscere; et Te nobis Diisque insere cum liceat. Mars eris in toto Orbe alter, alterque* Mei, *eodem mecum honore coleris; non mihi Te junge, Leon! Sed me Tibi; en currus meos, en Equos ad nutum obsequiosos, scande si libeat, metire Equis meis coelum, labere quocunque velis, perque Atlantem, in quodcunque astrum; araque mea pro Te viso fumabit: accipe donum meum, multumque mei, socia Te mihi et vindica quod Tuum est.* Ad Antejum et Meridamum etiam pergit, edoctus a nescio quo Deo, ingentes divitiarum venas Eis paciscitur: Antejo partem thesauri Cerberei: *dabit umbra*, ait, *militis pensa quae debeat triplicis oris Custodi:* Meridamo Hesperidum poma, esse dicit sub *Atlantis* pedibus adhuc Pomaria, adhuc fulvere in ramis Aurum, adhuc frondes ad humum sub onere curvari, esse adhuc custodita a

Dracone, sed custodiri et crescere in Ejus spem, solumque esse qui tot Aevorum fructus legeret, solumque qui frondes putaret, et pro quo Draco Suo Leontisque ense caderet. Meridamus statim totus pro Marte spirat, Laurum Famamque inania putans nomina. Adest dies venitque Leon, duciturque ad sceptra, Deorum vota: Gestat et Ille suum ebur, tenet capite Coronam, sed ut Deorum insignia videt, submittit sua. Surgit e Solio CORONIS, offertque et sociat Venienti dextram, ducitque Illum ad Solium, petitque ut Ei famulantis more adstare liceret; sed Ille consortem tori ut etiam in Solii sui partem veniret, rogat. Illa cum prius plausisset manum Ejus, dixissetque Illam fatorum Sui arbitram, Illamque ad dextram partem, ubi Palladis Oliva jacuit leviter locasset: *En prima Tecum, mi Leon! statimque pro Pallade mea loquor,* dixit: *prima sum, quia Tibi junctissima, sed si Amorem respicis, sique insuper meis votis faveas, adhuc Tibi junctior ero. Quanti erimus, ô Leon! si sub illà Deâ viveremus; concipe quae otia, quas delitias, quas non Glorias matresque meas, Filiasque Coronidas haberes. Quid daturus est grandisonans Ille Mars, nisi decus quoddam laetitiamque multo Tibi et Tuo fortassis sanguine constituram: dabit etiam hoc Pallas; annon Armipotens est? annon Aegida Galeamque habet? annon etiam illa hostes straverat. O Leon! quam miserandus fores, si Ejus hostis fores; sique illa cum Aegide, cum Gorgone sua et spiculis in Te iret: habet etiam, quod Mars habet, sed et plus, habet* Olivam, *habet* Pacem Deam; *facturane Illam est copia sua egenam, eritne minor quia major est, et quia plura Tibi dare possit; foretne Illa felicior et ditior, si nulla fuisset Pallas, si tantum Mars aliqua, et si nullam habuisset* Olivam *nullamque* Pacem. *Habet insuper* Camenas *quas in laudes Tuas evocabit: Tenet Illa meliorem Tui partem, est custos rectrixque nominis Tui; Illa Te in mediis triumphis potest necare; vivus eris et vix usque inter vivos, clarusque eris et simul ignobilis; tumulare potest nomen in victrici terra; potest,*

licet Mars et Ejus Equi in coelum Te vexerint, facere, ut nullibi nisi in Erebo penesque umbras sis: nulla Te aetas sciet, nulla Tibi gens applaudet, nec nisi Soli Tibi victor eris: si non mortem timeas, mi Leon: usque tamen nomini duplamque Tui mortem time. Quid, ô Leon! cum Pallade mea una sum, aque Ejus amplexu indivulsa; en imaginem Ejus in sinu meo; velisne illam a me divellere, divelle prius sinum, divelle pectus simulque Amorem Tui et Te Ipsum, Leon! qui sub hac mea Pallade lates. Disjunge Te a Dea, Illamque a Sceptro *Ei debito, sequar Ipsa, Victaeque Tibi in triumphum Tuum binae ducemur:* dixit et vale dixit Leonti, reditumque est pollicita si pro Dea sua statueret.

Sequitur Mercellus qui lente ab humo tollit vultum, videtque et movet se laete ad quamvis delitiosam Coronidis vocem: Tot a se dicta, tot pro Pallade munera quot audierat verba, putans. Incipit et Ille, et *ô maxime Leon!* inquit, *si Palladi meae pro qua pugnamus favere vellem, premerem alto silentio vocem, venio post Coronin Tuam, Avisque post Olorem, Cantorque post Camenam; suavitas Ejus mea insuavia reddit, nectarque Oris Ejus faciet ut minus Tibi mea sapiant: sed pro unâ causam agimus, sis delinitus modo ab illâ, sufficiet pro voce silentium meum. Quid verbis opus est, in dubio non fore palmam victoremve putem, si Te respicis, Leon! respice Tuam Pallada; ita ab isto numine pendes, ut vix esse possis Leon, vixque Tui ultra, ni sis Palladis. O Fortissime Ducum! Consule cum liceat et Tui totiusque Orbis Europesque fatis: aspice Europen et Aviam Tuam, qualis in intuitu Tuo haeret, qualisque omina ab ore Tuo captat, notatque ab oculis signa Cui Deorum faveas: videsne cum manum ad* Olivam *locas, quod in summos digitos se levet, et laetissima Te fronte inspectet; sique manum ad* ensem *moves, quod tremat, quod purpura ruborque ora Ejus linquat. En accolas ultimi Gangis, en Danubii et Nili septemflui, Maeandrique in Se refluentis, qui Parcas suas suaque stamina et vitas patentissimis auribus ab*

ore Tuo expectant; videsne novos e Patria Tua Advenas, omnes quam stent fixis in Olivam *oculis, illamque intuitu votisque praelibent, praeoptentque in Illam manum Tuam. Sed video, eque vultu Tuo conjicio, quem in sidera tollis, Olympum Tuum votum esse, vitamque animumque Tuum in astris cum oculis habere, en, Leon! voti summam, statue modo pro Pallade, Illa Te ultimam in Coelo Tuo Coronam superimponet; en Olivam, cui laurum inseruit, ad Jovis Sui ostrum locatam; Tibi jacet, Tibi nexa est, est arbitrii Tui ut a Pallade imponi liceat. Aspice modo Coelum oculumque in Perseo fige; quid non Illi dederat Dea nostra, parum est Atlantem, parumque Gorgona hostesque versos in marmora; sed videsne junctam lateri Ejus Andromeden, munera sunt Palladis, Tua etiam erunt, erit coelum Tuum, eritque Andromedes loco Coronis, locusque ambobus lectus est sub Ariadne subque Ejus adamantea Corona. Quid majus petis, si cupis triumphos, sunt Illi Te minores, si trophaea sique iterum Regum Tibi subjectas tiaras, parva sunt et jam Te inferiora, cum sub arbitrio Tuo habes Deorum sceptra, jusque quinquennalis Phoebi. Potes, si velis, totum lustrum nominis Tui facere, potesque victorias quas Mars tumide jam spirat, una voce et anima restinguere: vox Tua triumphalis est, multumque triumphalis; veniunt ab ore Tuo fugiuntque victoriae, digitusque Tuus in Duces Illorumque triumphos speratasque palmas jus habet: subque hujus horae finem potes millies vincere et mille triumphos agere; Martemque ne hostis Tibi noceat, in ultimum victoriarum sternere: nam quicquid* illustre *intra lustrum Ejus agi possit, Tuum est, quia dare Tuum est. Sed quid haec moveo, stant omnia quae desideras volatura in amplexum Tuum, si pro Pallade Illum pandis:* dixit, et circumstans turba vocem Ejus plausibus et acclamatis votis intersonat: Ipsaque Coronis laetiore fronte manibusque paulum ab ore remotis jam Mercellum jam Leonta inspectat.

Succedit Meridamus Seque propius ad Leonta subque

Ejus aures locat, tenetque dextra laevum Solii Ejus brachium. *Simulque ô mi Leon!* ait, *quod liceat Tecum pro Pallade proque Marte, deque totius mundi quinquenni fato loqui, Tuum est munus; quodque sanguis hic in pectore Suo eat, quodque Anima in verba fluat, etiam Tuum est, hinc putasne me posse nisi pro Te loqui, cum quod loquar Tuum fit. O Di! quam vellem ut pro Pallade simulque pro Leonte stare possem, ignosce mihi, Coroni! ignosce Mercelle! et Tu Bellica virgo! quod a Vobis, quia junctior sim Leonti, disjungar; da me neci, eripe e pulmone vocem, illumque in via sua restingue, hostemque animam interime, vel in mille prius plagas, quam in aurem Leontis veniat, diffunde, si illa contra Te, ô Leon! simulque Vos contra vel Vobiscum fluat. Sed, ô Leon! quod pro Marte loquar, pro quo Ipse loqui debes, et quod Coronis pro Pallade, est, quia Illa Palladi est junctior, et Tu Marti; Puella pro virgine proque otiis et delitiis est, vir pro Marte, proque Gloria: Sed dubitem an scias, subesse verbis Ejus dolos, et fel lachrymis Ejus misceri, et arma Te contra, cum pro Te visa sit, gerere:* Est ars Puellis longa assuetudine tandem velut innata, ut contra viros verborum orisque illecebris pugnas gerant, utque spicula emolliant, oblinantque succo cuspides, ne praecordiis illabi sentiantur. *Habent enim mentem alte repostam longeque a verbis remotam, latet in rosis Ejus Hecate, latetque in liliis nescio quis aspis. Si non pateat Tibi verbis suis quae sit Coronis, sit Tibi meis nota, quod Palladis Filium Dejoden amet, quod in Ejus amplexum a Tuis ardeat, quodque exsul a toro Ejus penes Te vivat, quodque ideo sub Pallade vivere amet, ut Filium Ejus habeat: ô quot tela et spicula invisa circum tempora Tua volant, Te contra Te armat Coronis, vultque Te suis verbis, ut rivali succumbas, movere. O Leon! si nullo Marte sis victus, ne illecebrae sint et insidiae quae Te primum vincant. Hinc prodit ab involucris fabula, quod Mercellus qui*

a Dejode est missus in unius Deae partem cum Illa abeat. Sed Ille quae non lenocinia movit, quae non a Coelo vota, aque Perseo et Andromede et ex ipsis Victoriis gaudia in Te contulit: Te locat in coelo sub Corona, simulque Tibi Coronin ibi jungit, tanquam Sui juris Olympus et tota Pallas esset. Sed, mi Mercelle! verte Te in omnem Coeli plagam, ab uno coeli gyro Solisque meta ad alteram, incipe quo aequor intercipit Solis lampadas, easque circum quousque oculus in orbem Te ducit, usque in aequor, e quo matutinos Ejus Soles oriri vides, notaque digito unum qui in coelis imbellem Olivam *fronte Sua gerit: fortassis una alteraque Camena et Puella erit; fortassis quae juncta est Perseo: sic redimitum etiam Leonta esse velis, decusque Puellare Capiti Ejus offers: refer in Tuam Olivas, quas dare velis Leonti, frontem; et vide an redimitus illa in primum Olympi limen venires. Nolim adhuc Mercellum in verba sua remittere, queis spoliarat Martem opimis suis, Teque illis cumularat, et queis quodcunque illustre in venienti lustro exstincturus esset, Tuum esse fecerat. O quam inania, ô quam magnus fores si haec Puellis loquereris, Mercelle! putasne Leonta aliorum spoliis Se amicturum, putasne Illum furtis famam nomenque Suum decoraturum esse, velleque victorias restinguere ut Suae sint; putasne Illum triumphos sine hoste ducere velle, deque triumphis triumphos agere. Sed quid dare queat Mavors, sit monumento lustrum Ejus; ô si numerarem trophaea, si victorias, si palmas laurusque quas Ille Tibi, Fortissime Ducum! dederat, et Tuas et Deorum aures spe Tui plenissimas, ipsumque diem lassarem: nil nisi dimidium habes; es in interstitio Imperii Ejus, esque in medio cursu, habes pedem in curru Ejus, jacent pro Te habenae. O quid adhuc Se libret judicium Tuum! quid mens adhuc aequâ utrinque lance pendeat! o nimium prudens! nimiumque tarde! metire Equis Ejus coelos, labere per Atlantem, per quem toties Mavors in coelum vectus fuerat. Habuit ille spatiosus Heros*

et habet adhuc Verticem intra signa et astra Arctoi orbis, Illumque jam Arcas et Mater Ejus insedunt, deorsumque an venturus sis spectant, sed quid verbis opus est, en pro me loquantur fata Tua: En, ait, *clypeum Martis Tui donum et Mulciberi Parcarumque opus; statimque demit textum quoddam ab Arachne factum quod clypeum superinjacuit: coelatum erat opus, Atlas ibi Ejusque vertex et ima, qualis in Olympo, qualisque in terris est, effigiatus erat; En Atlantem,* ait, *fortissime Ducum! en ad ima Ejus Parentem Tuum, en brevem Ejus formam brevesque passus at usque in montem enitentes, noscisne ora Ejus: En Avum Tuum Ejusque Pegasum, quem insidet: videsne Atavum qui incinctus Aquilae alis sursum et sursum ad Jovem volat; Ejusque Filiam, quam in currum Palladis scandere vides. Turbam vides Parentum, qui extensis ad Olympum palmis Illum non nisi votis oculisque contingunt. Sequere adhuc, Leon! oculis digitum meum; en Juvenem, qui in vertice est, aspice, Leon! quam sit Tui simillimus; Tuane ora in Illo spectas, numne Te agnoscis, numne Te in Atlantis vertice vides a Marte aque Parcis ibi locatum: videsne pedem Tuum in limine, multumque corporis Tui intra astra, videsne Martem in curru in occursum Tui pronissimum: en loquentia Tecum fata.* Ut se suamque in Clypeo faciem videt Leon, se rubor in ora Ejus spargit, inque oculos tremor, gelidumque frigus per fibras subque Capillis Ejus ambulat, amatque multa loquutum Meridamum, inque turbam et Mercellum oculum alternat; statimque levat Martis sceptrum, et obversus turbae, *En,* ait, *Rectorem, sub cujus lustro vivimus.* Ut videt turba in aura Martis ensem, continuatumque Ejus in Se Imperium, fremit illa et murmure templi lacunar ferit, vocemque ultimam Leontis interstrepit, palmisque in plausus expansis Pectora Sua Capulosque ferit. Dicunt Coronin suffudisse palmas lachrymis, Palladisque imaginem Ori Suo admovisse, proque Leonte Suo veniam petiisse. Venit etiam surdus ab alto strepitus, in quo de Curru quodam volatuque Bijugum

sonitus auditur. Pallas erat, inque ignem involat, illumque laetissime fulgentem in mille faces dispergit; summisque Meridamum alis hydrisque Gorgonis Suae stringit, ut horror ossa Ejus oberraret: Clypeumque Martis Mendacia, coelatumque opus et Atlantem, rursusque Arachnes texta in mille partes rumpit, citiusque fulmine cum Sceptro et Oliva, quasi victrix simul et victa, triumphatrixque simul et triumphata ex templo evolat.

FABULA V.

Viseirus in Auream Columbam evisceratam a Milvo.

Cum Viseirus esset a Bellophroonte ope Ejus Aurei Clypei *victus, fertur Leon stimulatus ira festinasse ad Circen Dominam Suam, et dixisse, Viseirum victum esse ab* auro Bellophroontis; *unde etiam Illum Circe bis virga Sua strinxisse, Illumque in* Columbam *auream vertisse: et dein cinxisse tecta sua tenuissimis filis et laqueis, in quos cecidisse Columbam fertur, et praedam factam esse Milvo.*

Prior apud Circen erat Leon, acturus Sui suorumque causam; facile apud Foeminam Suique Amantem agere potuit; pars enim loquelae in Amore multumque causae fuit; refertque esse Bellophroonta bis terque victum, sed dato auro gemmisque e Circes custodiis elapsum esse. Insuper sibi insidias strui, addit, aque Domina abducturos Se Hostique tradituros esse; petere a Circe opem, si Illa Se Ejus arbitrii fore vellet. Tacta foemina verbis Leontis Illum mollescere posse, Suique fieri juris, si pro Illo hostes Ejus vindicaret, putabat. Venit etiam Viseirus, statimque Dominam adit, jactatque Victoriam, Victricemque Illam vocat, Spoliisque Se et Trophaeis onustum dicit, ovatque tanquam meruisset totam Circen: At Circe Se scire, ait, esse Illum spoliis onustum; Sed, Viseire! ubi est Bellophroon, anne Mei vel Sui juris est: vix tunc temperat iram Mulier, quam etiam dictis scitatisque auget; statimque ferali sua virga Illum adhuc ovantem stringit: mirum quo ictum erat, Os Ejus porri-

gitur in rostrum, Seque Illo vidente acuminat; dumque iterum voluit *ovare*, Seque victorem dicere, desinit vox intra rostrum, proque verbis *ovamen* quoddam et murmur exit. In quae *monstra* abeo, dicturus erat, in *monstro* inque gutture mansit monstri vox; prensurus Se *digitis*, en nullos habuit digitos quibus prenderet; intra pectus et costas erant, proque illis *alas* ventilabat. Cum aliquid adhuc superesset, *conjecturus* erat Se supplicem sine voce ad Dominae Pedes; en cum *conjicitur*, totus in aura pendet; dumque vult procumbere humique jacere, usque tamen pedibus sed Se minor insistit: nec ira in una poena desiit; iterum Illum stringit, iterumque quid novi rapuit pluma Ejus, in *aurum* abit penna, rutilatque oneratque novum Ejus corpus, volatque *dives* et *egenus* in auro. Insuper et addit Se pavor, virgamque ne iterum feriatur, timet; latebramque quaerit, per quam in liberum aëra evolet: nactus inane esse Se *volucrem* novit, sed in quem abiisset, adhuc nescivit: ut super aquas fertur, en Se in imo fundo despectat videtque Se *Palumbem*, qui modo tantus Victor fuerat. *Plancturus* esset Se brachiis, pennae pro brachiis sonant, planctuque citius volatum auget. Per urbes per moenia carpit iter, videtque hinc et inde Suos, hic Amicum, hic Parentem, hic Conjugem, et ubique Famulos; *questurus* erat sed pro questu ovat, triumphosque agit in aura flebiles. Circinat et sulcat auras in Sui Suorumque Nomina, ut indicia Sui faceret; sed sinuatum Ejus iter *volansque loquela* nulli intellecta fuit. Per portas et tecta fenestrasque fugit, et carpit saepe rostro Amicorum postes, seque adesse dicturus esseque Illorum Amicum, sed ut vertitur a poste cardo, venit pavor, rursusque Se committit aurae, tutiorem Se ibi fore putans. Quid faceret, volat in Sua Suorumque Penatum tecta, statque sub dio, et gemit, inspectatque mute turbam in Lares Suos intrantem, Dominumque frustra quaerentem: videtque viduam domum cum adhuc viveret: orbosque Filios, cum ante oculos vivus staret Parens; Exequiasque inanes et lachrymas; quas, pro se licet funderentur, inhibere

nequivit. Cumque aliquis oculos in tectum Illumque conjicit, esse in manu Ejus Arcum, esse sagittam timet, et exsul e Suis fertur, et Se obvium Circes Laribus locat, ut *Multus* in oculis Ejus esset, utque perpetuo intuitu Illam moveret, veniamque oculis suis peteret. Sed Venefica adhuc durius Ei parat exitium; quoties Illum videt, ferire Illum lumina sua putat, laesumque in Illo Leonta meminit: hinc dum Sibi escam inter Columbas quaerit, fugitque socias Aves Illarumque murmur et gressum ad Se ovantem, en tendit *Laqueos* Circe, locumque tecti quem pressurus esset, filis circuit, pangitque dolos, facitque ne tectis Suis discernantur. Redit comitatus turba suarum Volucrum Viseirus ales eadem loca petiturus, sed agmen sequitur timor Illarum Milvus dissipans in fugam Volucres: Cautior Illo turba Raptorem per gyros sinusque ludit; solus Viseirus Se in solitos tecti Lares receptat, simulque in retia Sua incidit, quae fuga et timor colorque tectis velut injunxit: imminet Ei Milvus, putans Illum adhuc in fuga sua esse, Illumque bis ac iterum transvolat; at ut Illum haerentem non sponte Sua videt, involat, secumque rapturus in auram et fortassis in nidum Suorumque escam trahit; sed retrahit fortius filum, gutturque Ejus simul, quo ligatus erat, tendit, et stringit praecluditque animae iter per rostrum exire volenti: quoque corripit fortius eo fortius tendit, Illumque Cassibus innectit, gemitumque omnemque Supplicis sonum eripit: usque tamen ne linquat praedam ales, rostro et unguibus Illum init, pendentemque eviscerat, datque viam praeclusae filis animae victricique quondam vitae per vulnera, circumque ungues eviscerantis, exeundi. Circe exuvias Ejus, quas rapax ales reliquit aureas, vellit a Capite, illasque dono Leonti mittit, ut Ille Letho et Spoliis Ejusque Trophaeis gauderet: at in monumentum Caput intra laqueos adhuc linquit, vindicta Leontis et Sui simul in Illo fruitura.

FABULA VI.

Duo Circes Jugales in Noctis Aves.

Vectam fuisse Circen Curru *fertur, tractamque a Duobus* Viris Aligeris, *qui cum negarent obsequium eundi cum Domina ad Leonta, versos fuisse in Noctis Aves.*

Vehebatur Circe Viris, qui circa humeros facti Volucres, Illam per Auras, quocunque Illa vellet, transferebant; non habenis Illos rexit, nec stimulavit loris, verbis modo opus erat et minis, dictaque voce jussum aëra carpebant. Quondam cum per multum Imperii Sui vecta fuisset, Sibique Succos et Aconita, Spumasque Cerberi, herbasque Hecateïdas, stillatosque ab Equa latices legisset, revehenda iterum tempus suum verbis et minis et moderamine Alitum fallit, jubetque ut Illi Se ad Leonta ferrent: At Illi longum fore iter ajunt, adduntque esse Illum quem potius tectis Suis arceret, indignumque Amore Ejus, multoque Ei constiturum: cum haec et alia per auras jactitarent, mota ira Circe ut erat in curru medioque volatu, vertit Jugales Suos in *Noctis Aves*, Illosque a Se aque curru Suo in peregrinas umbrosasque auras abigit.

FABULA VII.

Tarticanes et Furiae Ejus.

Tarticanes amasse Circen fertur, et nesciisse Rivalem *suum esse Leonta, quod cum resciisset, tactum fuisse furore quodam, et in vindictam caece ruisse; et furtim Circae Dominae suae abstulisse Magicam quandam Virgam, et per Illam evocitasse in Arcem Leontis* Furias flammis munitas. *Dein narratur Pugna Leontis cum Furiis. Sed hoc audito indoluisse Circe traditur, et tradidisse Leonti Magicum sceptrum, ut Illo in poenam Tarticanae uteretur; unde Leon Illum in* Hydram *vertisse, et in* Tartara *sua egisse.*

Tarticanes multum et a Circe et a Leonte amatus; mutuus erat amor; nesciebat tamen adhuc Ille Leonta

esse Rivalem suum, inque Domina sua aemulum; putabat enim Circen solius sui juris esse, Tectisque tantum Leonta fovere, ut Ei Olivin vel Coronin Ejus redderet: unde saepe coram Domina ibat in Leontis laudes, dicebatque Illum Heroëm esse ab Hercule alterum; esse in Illo Aeacidis nec mortalem quandam Animam: sed nescius erat, quod pro Rivali verba faceret: ast ut hoc Ei innotuit, rapitur Tarticanes furore, animumque Seque in vindictam inque omne facinus stimulat; jamque Illum e tectis aque Circe Sua expellere statuit; jamque hoc parum esse, ardet Animam Ejus toties victricem, in Circaea arva ingloriasque Auras ejicere; jamque Illam si posset in ima Tartara detrudere. Ut videt forte soporatam Circen, baculumque Ejus omnium potentem capiti suppositum, redit Ejus furor, et, *quid non possem*, ait, *si Dominae virga potirer*, clamque Illam aufert, Seque cum Illa e tectis proripit, ruiturus cum Portentiferis Armis in Leonta, Illumque in quodcunque posset monstrum versurus: obvia primum percutit, et quodcunque funesto Palmite tangit, in alia statim et Monstrosa corpora vertit. Videt forte in via Fruticem, dum totus in ira erat, feritque illum, dicitque minanter, *Sic Te etiam*, Leon! *feriam;* mox frutex quot opertus erat Frondibus, tot ab Illo Volucres evolant, dictoque citius omnis Arbor in aura fuit, fugitque et Se et Nidos suos Parentemque Virgam. Ut haeret adhuc vix bene plumis ales nesciusque sui, iterum sed obverse feritur, redit in Illum frons, foliumque rursus fit, et ante Percutientis pedes non jam vitalis decidit. Nec hoc suffecit vires suas iramque Experturo, Hylactora Canem, vestigia sua prementem, eadem virga tangit; erigit Se statim Ille, pronosque vultus accipit, fitque homo, et quod olim fuerit famulus suus a Circe in Canem versus agnoscitur: Sed ne Circe indicio Ejus furtum suum resciret, furca Illum obversa repercutit, iterum depressus in pedes unguesque suos labitur, queriturque latratu quod fata sua Sibi iterum novaret.

Venit sic animosus ad moenia Leontis, moxque jussu Circes mandat ut porta aperiretur, *habere*, ait, *quae*

dicturus sit Leonti: at Leon objicit adhuc obicem introitumque negat Hosti: Cumque Tarticanes monstrat virgam Dominae Suae tesseram, esse Illam Circi ereptam dicit Leon, Seque vim minis adjecturum esse, ni ab Arce Sua fugeret. Accensus ira Tarticanes, percutit violenter humum, inque opem totum Erebum Erebique Deos vocat: Mirabile visu, aperit Se Tellus licet invita, hiatque et labrum facit, ut posses ima tartara videre: et mox e Cratere isto exeunt *sex septemque Furiae* manus munitae *torribus* et *flagranti lampade,* et spirantibus facinus oribus, rugosisque Corticis instar genis, oculisque ex facie longius prominentibus et multum coeli simul videntibus: Omnes circumstant Tarticanen: etiam ipse se retrahit, animamque bis et iterum aegre ducit; cumque jussa daret, voce tremit; sed excutiente metum Ira, ut lampadas Suos in Tecta et Arcem Ipsumque Leonta immitterent, jubet. Paret Stygia turba, pars ruit in portam, Igneque Sibi aditum in Arcem facit, pars intromissa in Atria et Thalamos inque toros ruit, et columnis et tabellariis tignisque ignem subjicit: flagrat Stygia face domus, strepitque et sonat tanquam in Illa totus Jupiter cum fulmine esset. Ipse Leon novitate rei attonitus, ut videt Infernum agmen, in Illos coece per flammas et minas gladio clypeoque fertur; conditque ad Capulos usque ferrum illisum oribus orumque hiatibus: sed quia nullo forabiles erant ferro, gladius in guttura immissus ab Illis tanquam e cavo marmore resilit: geminat ictum Leon, geminatque vires, et in faciem inque patulos sinus rugasque facinus spirantes ferrum injicit, referitur et exinde Mucro, et hebetior retunditur; usque tamen saevit Ille circum tempora Illarum gladiis, et Angues Comasque ad ignem Sibilantes Seque in ligamina spirasque torquentes decutit, truncatque Capillos, truncatosque ultimum virus evomituros in semicremos Penates conjicit. Fluit per tempora Eumenidum sanies, inque Oris rugarumque lacunas; Ipsaeque Se suaque membra horrent. Sed cum *Erynnis* et *Tartarea flamma* per totam domum regnaret, et unam Erichthonem etiam in suo penetrali esse videret,

per flammas perque domûs minas erupturus esset Leon, ni Tellus Dea subjecisset ex humo Manum, vix ausa Caput, traxissetque unum Ejus pedem, ut in Se lapsilis recideret, Illumque morti simulque Deabus mortis eriperet. Ut innotuit hoc Circae, indoluit Illa, gemitusque mistos minis edidit, non secus ac Lea cadente sub pectore suo Leone et pullis: ruit Vesana quo Illam impetus fert, et Se et caput postibus illidit, et Tarticanen Praedonem vocat, et dignum qui sibi junctus Thetyo aut Tantalo poenas daret. Pergit ad Leonta, lachrymisque testatur et dolorem et gaudia quod adhuc viveret, Victoremque Illum totius *Erebi* et flammae vocat, traditque Ei virgulam, quam Sibi Surripuerat Tarticanes, ut illa in poenas Ejus quascunque vellet uteretur. Hinc Ille jubetur ut supplex ligatusque palmis et inhonoratus ad Leonta veniat: adest volvitque Se ad pedes Ejus: nunc non Ille erat, nec Ille Ei animus quo Furias nuper evocitabat: Sumit Leon Magicum Ejus instrumentum, anteque Oculos Ejus vibrat, Illumque dignum vocat, qui Furias Ipse augeat; simulque manum Ejus, ut erat protensa et ad minas protensior, percutit. Brachia ut ligata erant, Se pariter recipiunt in pectus, vulnusque quod ligamina fecerunt, squama longaque cutis operit. Territus in fugam Se prorepturus, en nullos habuit pedes, nullumque quo fugeret, corpus: Venter modo et alvus tenuit omnia, *anguisque* toto corpore supplex ante Leonta volvitur, et, *i nunc, Tarticane!* ait Leon, *in Tartara Tua et refice Te ipso comas Dearum Tuarum.* Tarticanes licet transformis erat minorique ventre et pectore, sub illo tamen iras concipit, queis totus intumuit, jecitque Se in auram, et Leontis pedes morsu appetiit; vulnerasset, ni Circe ab Illo facinus arcuisset, anguemque in latebram detrusisset, quam humus sua duxerat; in quam cariturus luce et Domina, et quaesiturus viam in *Tartara* sua intrat.

FABULA VIII.

Epistola Olividis ad Leonta.

Cum Olividi aditus ad Leonta fuisset a Coronide bis terque praestructus, in animum tandem induxit, ut literas has ad Illum mitteret, et amorem suum per Illas testaretur. Primum: Amorem suum in Cunis inque infantia inceptum esse memorat: dein in Deos et totum Olympum questus effundit: tum etiam in Coronin, cujus insidias et dolos narrat. Multa etiam de audacia Ejus in pericula ruendi, perque Atlantem in Olympum enitendi queritur.

Accipe, mi Leon! literas, quas Tibi sine nomine mitto, et ex notis manuque Scribentis nomen meum vaticinare: dextra mea notissima Tibi olim fuerat, et Tuamet fere notior; saepe cum Tua junctissima fuit, saepe circum Tuum collum locata, Orique Tuo osculanda admota; et multoties ex Amore Tui signa, ut semper agnosci posset, nacta: sed nunc, ô Leon! esse illam oblivione obductam, Teque jam Alius melius quam nostri scium esse auguror: sum tamen Illa quae Tecum in cunis juncta fueram, sum quae primam Amicitiam, primaque dextrae foedera sub Parentis Tuae uberibus iniveram: sum quae sub eodem lacte eosdem animos imbiberam; et quae Tua facta fueram, cum Tui Parentisque Tui factus fueras; junctissima sunt et tenerrima Nos inter foedera, amorque Tui meique in eodem tempore cum vita inceptus; nullumque habuerat testem nisi Te et Cunas silentesque Infantum Deos: memini, quid non meminisse possunt Amantes, ut eramus ligati fasciis, quod tenellis vocibus verbulisque nobis modo intellectis testati fuerimus amorem nostrum; et mox ut eramus ab Illis revincti, brevibus ulnis illum firmaverimus. At nunc me Tibi ablatam esse queror, inque alium orbem aliumque a Te Solem abductam, et a Tua dextra fideque ira numinis cujusdam mihique semper iniqui Martis remotam. Vix tamen credere possim teneram nostram in oblivionis *tempore inceptam fidem etiam in* oblivionem *cessisse; sed queror tamen, quod de Amore,*

quem per tot lusus jocosque incepimus, nil nisi quam gemitus questusque supersint: quodque tenerrimi nostri risus in lachrymas, quodque spes, quae unica adhuc me lactet, in timorem abierint: ô Coelum! ô Phoebe! in quae tempora mecum laberis! ô in quam Juventam *cum faustissima nostra* Infantia *aufugis! quamque laetitiam dulcesque aetatis flores Tecum aufers; iniquus es, Teque Ipso iniquior: ô redde mihi si possis ad-empta, restitue mihi cunas et in Illis mecum rursus Leonta repone. Sed quid contra Olympum querar: eat usque suo ordine coelum, et iniqua semper supra me astra ducat? sed fac ut habeam e tot modo votis hoc unicum? ut nullius amore, si non nostri, capiatur Leon. Ignosce, quod coram Te haec voveam, Leon! quodque impleam questibus et innocuo amore literas, et oculum Tuum absens vulnerem: esse tamen Te et luctus et flammae nostrae nescium sperem: haec est spes mea, qua adhuc lacter, quaque adhuc sub infantiam meam referar: nam adhuc non credere velim, Te resci-isse me Tibi toties reducem esse factam; semel cum Pace Parente mea, cum niveis Veneris Tuae meaeque Columbis, quas Dea in infaustum omen atris guttis asperserat: dein cum in Atlantem ferri velles inque Olympum a Te Tuisque abripi: sed a Coronide, quae simulavit Parentem meam, ad hostem Tuum meumque remissam fuisse: memini etiam me vidisse Te per mon-tis praerupta enitentem, vidisse etiam Te ademptum fere terris Tuis, Teque in altissima aura Te minorem factum, et sub* Infantis *fere corpore in editiora itu-rum: visum Te fuisse eodem corpore cum mihi pactus, cumque mihi laetissimus fueras, mecumque dextram Tuam fidemque primam in incunabulis sociaras; pro-lexisse etiam hoc gemitum quendam et me quasi in laetitiae meae tempora remisisse, et* lachrymas meas doloremque *et* amorem *triplices animi mei hostes auxisse: ô quoties voluissem clamare!* quo a me meus aufugis; quam in astris Sponsam et Olivin quaeris: *altior eras quam ut vox mea ad*

Te perveniret; palmas etiam iterum vinctas ad Te levare volui, sed quia tam humilis steti, jamque minor junctiorque humo et vilior Tibi visa fui, quam ut a Te respici possem. Sed quam Tui timebam, ô Leon! ô quoties ut Tui esses memor, clamavi. Cum de Te quid Fama Tui narret, ô quam adhuc mihi saliat pectus: cumque audio Te in Olympo sine comite fuisse; Hiemisque *tardissimae regna in aërea regione transiisse; cum Arcade Borei Axeos custode loquutum fuisse; Teque contra Jovis fulmen iciendum Palladisque iram stetisse; ictumque per inane rotatumque fundae instar decidisse; exceptum tandem Martis curru in Threiciam humum delatum esse: ô quam hiscet anima mea! vixque nisi interrupte in vocem abit: ô quam ad dicta haec narrantis Famae calamus manusque mea in medio cursu se sistit: en lituras quas stupor modo fecerat: Si me videres, quam longum in me vultum notares, tractumque in sententiam quodvis murmur audires. Sed, ô quam Tui nostrique es immemor! ô quam parum de Timore deque Olivide Tua habes! quamque Alius es, quam ut in eisdem mecum cunis jacuisses, eque eisdem uberibus eandem vitam hausisses; in pericula et in strictos enses inque vitae Tuae terminos ruis. Sed, mi Leon! sis etiam memor Olividis Tuae; nostra a Tuis fata pendent; ultimum erit Mei cum ultimum sit Tui: Ipsamet non Tui superstes ero; si Te perdideris, Duos in uno Te perdes: non solus es qui in enses hostesque cruentos ruis, ipsa sum Tui comitatrix; cum sanguinolentus sis, Ipsa etiam sanguinolenta sum. Si, ô Leon! mortuam magis quam vivam Olivin ames, in mortem inque umbras abi, et Tibi in umbris sociabor, cum in vivis nolueris.*

FABULA IX.

Ariadnes et Nerei Amor, et Variae Ejus Metamorphoses.

Narratur in hac Fabula, venisse Ariadnen ad litora Oceani, et imaginem Sui sub undis spectasse, et Se

illis abluisse, et cum specie Sui lusisse: quo viso, captum fuisse forma Ejus Pelagi Deum, et secum deliberasse an in rapinam Illam abduceret, an litus emoveret litore, cadentemque in undas suas exciperet: sed cum hoc Se indignius fore putasset, amicisse se Regali amictu, et venisse ad Illam in curru suo sublimem, comitatum Tritonibus Deabusque Aequoris Sui; et sic Se fassum esse procum: sed cum aufugisset Ariadne, rediisse ad Illam sequenti die versum in undam *suam, et subter pedes Ejus fluxisse: sed cum haec frustra forent, jam in* Piscem *Se mutasse, sequutumque esse hamum Ejus; jam in* Adamantas, *et posuisse Se in Canistro ut caperetur, locumque in tunica Ejus sortiretur: jam in* Torquem *et* Monile, *ut sub auro collum Ejus amplecteretur; jam in* Verbenas *et* Corollas *et* Thura; *jamque in* Carinam, *et instruxisse Se velis et antennis, et invitasse Ariadnen in foros et transtra Sui: jam vero in* LAURETEN *Martis e gloria Dea Filium, Ariadnes Amorem; et Se vinxisse Catenis, Seque coram Illa locasse, Illamque opem rogasse; sed omnia sine profectu: tandem rediisse iterum in suam formam, et dictis minacibus Illam insequutum esse, et vocitasse Illam robore, silice, ferroque et aere suo duriorem, ursaque et tigride immitiorem, et Borea et frigore gelidiorem: et habituram esse Oliveten, sed varium semper et inconstantem.*

Ariadne in primo Juventae flore inter pulchriores pulcherrima erat, praelataque Sui Aevi Orbisque Puellis, et Finitimi etiam invidiosa: forte ut erat comitata suas ad suburbana praedia, inque nudiores camporum lucorumque delitias, errore quodam in litus limitemque Oceani lapsa est. Quo cum staret, suasque Comites circumspiceret, speciem suam in undis lustrat, reponitque Illam ad Sui instar, relocatque in statione comas: et forte ut Se saepius sub aequore videt, *imagine Sui,* Oceanique lusu tacta propius Se illuc inclinat, inque undis et fortassis in sua specie, quae sub illis obverse figurata erat, palmas mergit, impletque illas Sui oris lymphis, et forte

quid de imagine sua captat, et vultus suos, ut adhuc formosior fieret, vultu Sui abluit, nudamque suam formam Oceano adimplet. Ut hoc sentit sub undis suis pelagi Deus, videtque in aquis suis umbram Ejus, unamque Ariadnen in Se cadentem, alteramque erectam; duplici triplicique capitur amore; subque Ejus obtutu moratur, concipitque in mediis aquis flammas, quas frustra toto Oceano operire tentat. Utque Illa adhuc Se tutam videt, in pelago et in *latice* nullum *Ignem* latiturum putans, hinc se incautius lymphis Ejus credit, inque illis rursus manus suas mergit, luditque cum Amatore Sui: ut iterum hoc sentit Deus, geminat Se ardor Ejus, impetusque Ei fit dextram suam cum Illius jungere, Illamque in aequor suum ut rapinam subtrahere; sed et hoc Ei statim displicuit, venustatem Ejus taeda quam rapina digniorem esse putans, totum Se in imagine Ejus locat, miscetque Se cum Amata, Seque Illa Illamque Se circumfundit, totumque Se Amore Ejus ingurgitat; umbramque et effigiem loco Ejus amplexatur: Statque in effigiato et inani Ejus corpore, et ex Illo respicit aspicientem, arridetque ridenti, palmasque movet ad palmas moventem. Cum omnia haec suspexisset Deus, ardescit Ille in undis suis, non aliter quam cum lympha e Solis aestu incalescit, quamque in aheno subjectis undique taedis illa subsultat; jamque ardet a chara Sui imagine in veram erumpere; jamque ipsum litus partemque vestigii Ejus a litore avellere, inque brachia sua casu sed usque tanquam sponte conjicere: sed cum timeret Illius, putaretque in tanto timore exanimaturam esse, etiam hic in Illo ardor resedit. Jam vero lubuit aquam suam radiosque Solis in nubium templa regionesque sequi, et ab illis in guttam dividi, Ejusque in sinum superne cum ab infra nequiret *Pluvius* labi, Jovisque instar in lapsu gremium Ejus implere. Sed cum omnia haec repudiasset et inania esse, umbraeque, in qua stabat, similia putasset, tandem in formam suam inque currus et Equos redire, inque imaginem Pelagi Dei verti, et Se alterum Jovis Fratrem Oceanique Rectorem Procumque ostentare

statuit: induit Se Regali amictu, et Caerulea et purpureis clavis intertexta trabea, togamque Ei superinducit, quae ab adamantibus et pyropis aequoris Sui spoliis, gemmantique concharum nitore circumfulsit; habetque a dextra laevaque Tritones, quì semiferis membris caudisque in piscem cristamque desinentibus fluctus sulcabant, viamque Ei ad litus aperiebant. Utque ad radios Solis ab Oceano aque auro et adamante reflexi, visa in primo litore esset Ariadne, surgit Deus sublimis in Rotas suas, et Lora altis dextris, laevisque Tridentem jactat, imminetque Equis; et fluctibus et Aquilone et buccinae Sonitu citior ad terminos Sui super aquas labitur: utque est intra vocis Suae spatium, potestque audiri, insonat a Tritone Buccina, quae grandisono murmure fluctus suos ventosque imitanti, in litora altissimo tractu volvitur. Tunc Se coram Illa Procum jactat, dicitque viae causam, et Se, ut in thalamos Ejus reciperetur, venire: ad Proci Thalamique nomen aufugit Ariadne, Seque in sylvas ferarumque lustra terrores Suos conjicit. Cum videret Amans in fuga Amorem suum, Illamque lustra ferasque minus quam Se timere, ab ira et dolore tactus in alias formas aliasque artes Se transferre statuit; hinc abiit, jam in *undam* quandam Se dulciorem fluentioremque, et sequutus est per arva et intra ripas instar parvi torrentis Ariadnen, et Prata et Floreta secuit, subterque Euntis Nymphae pedibus fluxit, cumque suris Ejus et calceis lusit, et gressus Ejus lubricos, ut in undam fluentumque Sui lapsilis decideret, fecit. Sed cum haec frustra forent, in piscem quendam Ille qui modo tantus quique in Oceano vix sedem habet, se trusit; seque in *undam* suam resupino aduncoque corpore demisit, et cauda aequor utrinque secuit, inque Suo *numine* et in Se et alveo Sui cucurrit, suique lympham captare simulavit; agilisque jam in summum aequoris desiliit; jam in altum aëra Se subjecit; jamque stetit intermedius, rostroque Suo Solis radios captavit, unumque Deum in alterius Suoque alveo recondidit: jam sequutus est *hamum* Ejus, inque summam cum virga auram; et cum multos in aëre

motus numerosque, visurus ex alio quam ex suo latice Ariadnen, egisset, relapsus est. Sed cum hoc etiam non succederet, in alia inamataque corpora se vertit; jamque in *adamantes*, inque *gemmas* et igne quodam lucentes *smaragdos*, aliaque fundi Sui velamina; Seque simul in canistro quodam interque unius Najadis manus portandum reposuit, seque in donum ab Ipso donante ad Ariadnen ferri passus est; cupiitque in Se digitum Ejus, Seque in fronte circumque comas et reticulum, vel in gremio circa mamillas Ejus reponi, et sub lapillis frigidiorique corpore gratissimas Sibi calentioresque sedes osculari, et forte lapsilis intra togae limbos defluere. Sed cum hoc etiam Sibi indignius visum fuisset, inque luto suo solique aequorei quisquiliis latere diu nequiisset, Se ab illis proripit, inque *Flores* abit, cupitque sub *Corollis* sertorumque nexibus brachia Ejus vel collum cingere. Fertur etiam in *Carinam* Velis Antennisque instructam transformatum esse, et supra undam Suam transmissum, adque litora ab Ariadne pressa velocissimo lapsu volitasse; inque Se et transtra forosque Sui frustra Puellam vocitasse. Tandem cum omnia nequicquam tentasset, e mutis his et loquela carentibus exiisse traditur, et Se in LAURETEN *Martis Gloriaeque* Filium, veterem Ariadnes Amorem transformasse, et Se et ora sua in Ejus vertisse, vultumque ab hoste Suo Rivalique feliciori mutuum sumsisse; et imprimis Sibi notulas, queis olim capta fuisset Ariadne, ut eisdem etiam in Se caperetur, impressisse; et dein Se vinctum Proteo tradidisse, et Se coram Illa in vinclis inque catenis lacerum stitisse. Utque Sic videt Ariadnen, supplices Ei sponteque nexas palmas porrigit, Seque esse *Laureten* nomine dicto fatetur, rogatque Ejus, si ferri possit, opem; *et, ô mea Ariadne! si usquam mea fueras,* dicit: *en Tuum in vinclis Laureten, en me intra hostis mei manus, qui me ad* Pelagi Deum *in amoris Ejus victimam ducturus sit; en palmas meas vinctas, queis Tibi toties faveram; en intra immites Catenas brachia, quae cum Tuis saepe nexa fuerant. O si Tibi usquam placuerim, in opem meam veni; et*

si possis Tuismet armis hostem et Protea amove, meque his vinclis exime; ut Tuus perpetuo sim; utque solutus vinclis grates quas amator usquam agere possit, solvam. Sed Ariadne ut videt simulata Lauretae ora, tristioremque Ejus vultum, affictasque notas, subesse Illis Alium, subesse insidias et vinclis Ejus retia aliaque fila sensit: et *quisquis es, non es Lauretes,* ait Ariadne; simulque Se iterum in fugam rursusque in interiora Sylvarum recipit: ut hoc videt Pelagi Deus, ingemuisse fertur, et vincla sua e Protei manibus evulsisse, inque fugam Fugientem sequutum esse, et Illam ad Se adque Oceani Deum confesso nomine testatoque dolo revocasse; *et, ô mea Ariadne!* dixisse, *cur Tibi sim vilis, cur fugis Deum amantemque Tui, respice qui sim, non Tuus Lauretes; sum major, vastique Oceani Rector; unusque Jovis omnia Regentis Frater; sum qui ab Ortu ad Occasum, aque una Solis meta ad alteram, aque duplici aurora regna teneam; sumque qui mensuram modumque Sceptri mei nesciam; et in quem desinunt euntque ordine fatisque Suis Superi; in quem Astra totius regni Fratris mei et Olympus cadit; sum qui limites nisi quo Coelum suos habeam: vide quem despicis, quotque in uno Deo Deos contemnis, et quantus a Laurete Tuo distem. Si non Deum Amantemque Tui respicis, respice tamen Te, ô Ariadne! quanta fores si nostro thalamo desponsa, si sceptri mei socia, si triplicis mundi Domina audires; Si inter Deos Deasque pelagi nostri culta ires: Si Ministrae Cultricesque Tui essent Nereïdes; si Pontus Tibi obsequia juraret, et pro Te ab Occasu ad Auroram iret, aque uno Aeoli Nato ad alterum; et si ad nutus Tui a Mane ad Vesperam flueret; caperetque ab ore Tuo obsequii fatorumque Sui momenta: vide, Ariadne! quid spernis: ô quam crudelis es; nullam habemus in Oceano Nympham, nullumque fluctum, nullamque habes in sylvis dumisque Tuis rupem Te Saeviorem: ô quem in tam venusto corpore silicem gestas, quam ex Adamante et Aere Ferroque Tuo venam; ô quem ex Campis Litoreque*

nostro sinum; non es Ariadne; non quam Lauretes amet; non quam Europe ex Marte genuerat; es a Borea et ab Aquilone, interque ursas et lynces nata; es frigidissimo glacialique lacte enutrita; Sed, Ariadne! sis licet Parrhaside ursa, sub qua vivis, immitior; usque non ero hostis Tuus, habeas sine me Laureten Tuum: qui sine me Tuus esse nequibit: semper erit fugax, semperque in arvis non Tuis quaerendus, inque thalamis Invidiosae reperiendus, aliusque semper fiet, cum Tuus factus fuerit. Sed Tu mea usque eris, et si non ulnis meis, eris tamen aequore meo cincta; foveberis amplexu brachiisque Amphitrites meae; jacebisque pectoris gremiique loco in medio Imperii mei; formamque habebis Cordis *mei in quod* vena *et* unda dulcissima *fluet et refluet: et* eris in delitiosum, sed usque gelidum quendam sinum figurata. Statim ut hoc dixit, fluit Ille refluitque huc et illuc, et litora secat, et illa in *cordis* Sui formam sinuat; et terram Ejus in undis suis tanquam in *medio pectore* locat: datque adhuc delitias, hortaturque ut mitior Suique memor, si fieri possit, fiat.

FABULA X.
Dejodes et Coronis.

Narratur hic, Dejoden *cum in Juventae suae flore esset, forte vidisse in Venatione quadam* Coronin, *et statim etiam Amore Ejus exarsisse, et multa non in aurem Ejus pervenientia dixisse; hinc statim in Equum Se misisse, et ad Palladis aedem equitasse, et multa prece Coronin in tori Sui Sociam petiisse; et faventissima a Dea matre signa in Aede Ejus tulisse; queis laetiorem factum festinasse ad eundem locum, e quo nuper Coronin spectasset, et vidisse ibi* Pallada *et* Gloriae Deam, *utramque non in suo, sed in alieno vultu et cinctu: hinc nescium cum Parente sua loquutum esse de Coronide, et Illam in sponsam multa cum dote tulisse.*

Dejodes cum jam nec *Adolescens* esset, nec *Puer,*

cumque esset inter binas aetates medius; et expers simul et consors amoris; et cum fere intra Cupidinis sagittas; et jam primum inciperet pervios habere sinus, et vulnus sentire, et illud amare, si pro delitiosa quadam factum esset. Arsit die quodam in venationem: simulque *Puerilem togam* exuit, et superinjicit humeros Militis sagum pictum tam circa limbos clavis, quam intextum croceis et purpureis notis, et guttatum Pavonis astris; Capite vero pro Casside Tiaram habuit, et circum Illam crines suos in nodum gyravit, ne circum tempora fluerent et frontem suam, praetervolante forte fera, praepedirent. Ita incinctus etiam in candidissimo Equo Se locat; refertque Se in picta bombycinis et puniceis filis strata, et in distinctas liliis coccineisque floretis, phaleras; et sic per Arva fertur, an *Venator* magis quam *Amator*, et an feram quam Puellam Sibi praeoptet, an hanc illamve praedam in dolos et retia sua agere mallet, dubium. Forte ut lassus Se in gramine reponit, solusque sub umbra secedit, habetque Equum ad pedem Suum revinctum, inspecturus ab umbra quadam turbam suam venatricem; en etiam immistam Illi videt CORONIN, specie quam jurare potuisset a Venere natam, Cupidinisque Fratrem esse; et quas haberet in dextra sagittas, Fratris Ejus esse et illis insidiosiores: vel si tunc visa fuisset Cythereae, invidiosa foret, iterumque haberet unam, quam pro Ledae Filia Paridi substituisse posset: Quiddam erat in Ore Ejus quod Coelum referret; purpura erat intermista Candori, qualis Aurorae cum Illa in primum Olympi subvenit, incipitque ad inopinum Phoebi ortum pallescere. Ut videt Illam sequentem decoro passu feras, subito quodam igne tanquam sagittà Ejus ictus sedet, et gemitum unum alterumque tanquam vulneratus edit, et gemitus interserit vota, alteque et soliloquo murmure ut sua esset, praevovet. Utque adhuc fit propior, videtque intensiorem ex calore et cursu purpuram, et ignem quendam ab Ore Ejus erumpentem, qui pulchriores exterioris vultus notas obtegeret et interioris proderet, adhuc altiori vulnere stringitur; utque ad Se de

praeda Sua aberret alta voce sollicitat: at Illa ne obliquis quidem hircis Illum intuens praetervehitur, feramque sequi quam Juvenis jussa malle simulat; arcumque tendit, et cornua Ejus ad genua sua lunat, jam jam in fugacem feram telum missura: ut videt hoc Palladis Natus, laudat digitos, laudatque nervos et quicquid dextra et genu contigit; et vix magis Suus esse coepit: *et, ò mea Nympha!* ait, *quaecunque es, non e* Dianae *comitatu unam esse velim; sis Illis mitior, et ne fuge* pereuntem *Amantemque Tui: in quam* feram *cum decoro Tuo corpore ruis; ò felicem illam meque feliciorem! ò quam Illius loco mallem esse! ut Tui* praeda *esse possem: ò verte* tela *et rege in me* sagittam *Tuam! Tibi, mea nympha! victus* cadere *velim; habeo quae de me* trophaea *loces, quae de me gaudia et ovamina captes, et quam in me* gloriam *quaeras;* praeda *Tibi et* palma *et simul* delitium *esse velim. O Coroni! violentior est aspectus Tui sagittâ; ò quam cominus vulnerer, si propius ventura sis ad intuitum Tui moriar; rursusque reviviscam, rursusque moriar; proque Te fata mea ter iterumque novabo.* Cum talia frustra dixisset, auraque cepisset voces, omnesque amoris Ejus nuntias in Eurum adque alias venatrices detulisset; Ille Amoris Sui novique et primi ignis impatiens, super glebam inque *umbra* morari nequit, nimio Illam *aestu* calere; esse illam plus quam *Phoebi radiis* adopertam; esseque Se alio et ardentiori quam Solis igne ibi obsessum sentit: hinc jam in venabula sua et arva *ardet,* jamque in eandem cum Illa fugam, jamque vestigia Ejus feramque sequi, et tela sua et vulnera, unamque in una dama *gloriolam* sociare: sed cum ad haec etiam impatientior esset, conjicit Se in Equum adque proximum lucum velocissimo candidoque cursu fertur; nec prius desilit, rursusque deligat ad palum Cursorem, quam ad limina aedis Palladis suae staret; statimque ut adest, per portam ruit, et *calenti* adhuc *anima* multoque aestu hianti ad matris aram pergit, obversusque simulachro Ejus, ab Illa prima aetatis Suae vota petit, dicatque Ei togam

suam, illamque prope ad cunas suas locat: *et, ô mea mater! ignosce,* ait, *quod non ad limina* sagittam arcumque *meum reponam;* Illa *adhuc manibus meis in Veneris Cupidinisque signum praefero; en Eis brachia mea* vincta, *en ab Illis* vulnera *mihi facta: si nosse velis viae causam, vultus meus pro me loqui, ipsaque vota, quae e vultu prominent, possunt: est, ô mea Mater!* Amor, *est* Coronis *pro Qua supplex venio; est Illa Quam thalamo toroque meo voveam; est cum qua annos meos sub Te Parente jungere optem; et pro Qua mori, sed usque reviviscere et iterum mori velim; mortem quam vitam sine Ipsa malim. Certum est, mea Mater! si Coronin mihi renueres, sique vota haec aetatis meae prima negares, quod ante aram tuam indivulsus starem, quod periturus sim ante ora Tua, futurusque et amoris et Tui victima.* Dixerat, et dedit ex marmore Suo nutum Pallas signaque Nato faventissima: *flammaque* arae Ejus laetius effulsit, ipsoque apice in lacunar volitavit, summumque tecti, quod nunquam prius fecerat, libavit. Juvenis ad hos Parentis favores laetissimus cum sagittis Suis rursus in Equum volat, rursusque in eadem loca, sed jam Sibi gratiora, quasi votis suis potiturus, revehitur. Ut videt umbrae locum, e quo nuper spectarat Coronin, en ibi binas spectat formosissimi oris nymphas, altera est *Pallas* et altera *gloriae Dea,* utriusque Amantis Parentes, sed transformes nec in suo vultu latentes, sed eundem quem Ille nuper torum prementes, et multa anima voces Suas pro Dejode sociantes. Ut Filium videt *armipotens Dea,* surgit Illa e cespite, sumitque venabulum, simulatque Se Venatricem esse, et flectit ad Illum iter, et, *ô mi Fili!* ait, *sive Dejodes sis, sive alter, Te tamen usque Filium voco; dic Mihi, unde in haec loca e queis modo aufugeras, redis; dic quid grati Te rursus huc allectet; quidque inter feras amoeni sequeris; numne quid dulcius et lepore et dama* venaris, *numne quid ultra quam venationis* gloriam *quaeris.* Ille adhuc nescit Matrem esse, quae Secum sub alieno vultu loquebatur: *quaecun-*

que sis, ait, *gnara es laetitiae meae; putem Te consortem esse Amoris mei, Teque mea ex vultu meo vota praenosse: in Palladis Parentis meae aede fueram; si signa nutusque faventium numinum intellexero, vota mea me tulisse sperem.* Sed cum taceret Coronin, retulit Ei Pallas: *scio, mi Dejodes! Te penes Genitricem Tuam fuisse; scio Te ad aram Ejus focumque stetisse, et pro Te proque Coronide preces super ignem ad* Palladium *fudisse, scio etiam Illam votis Tuis nutu favisse; in* ignem *enim volarat cum lampade Suo* Hymen, *et in tecti summum Amoris Tui facem tulerat, et taedis suis, queis Tibi assentiret, coram Matre Tua praeluxerat. Accipe, mi Fili!* Coronin, *quae Tibi vota et Tua et Parentis Tuae tradiderant:* praeoptata *Tibi a Matre Tua fuerat, habesque Coronin prius votis Tuis Tibi desponsatam. En in polliciti nostri fidem* Gloriam *Amoris Tui Parentem, quae mecum de Filia sua in eodem loco e quo Illam spectaras, loquuta est: venis inter sponsalia Tua medius. Sed unum est, quod Te moneam, mi Nate! novam Tuam nuptam* Deamque, *velim thalamo et toro, sed caveas ne usquam* aris *et* aede *excipias.* Ut hoc dixerat Pallas, subito in vultum suum inque aegida revolat, inque forma sua visa est, Parensque Ejus quod esset, agnoscitur: stat Dejodes et inopino quodam stupore ictus, supplex ad genua Ejus labitur, Parentem quod non prius agnovisset, veniam rogaturus: sed ut rogaret, abest Pallas, inque aërem lapsa citior oculi ictu Filio suo excidit.

FABULA XI.

Coronidis fuga et reditus ad Dejoden.

Narratur Coronin aufugisse a Dejode *ad* Leonta; *sed post decennium rursus ab Illo arsisse, et de eo sollicitasse Pallada, sed ab Illa responsum tulisse, quod Illa Dejodis Amor rursus fieret, si Illam daret* Albionis: *unde Coronin Se in* Puerum *transformasse, et velut in Suum Fratrem; Cujus amore cum caperetur Albionis, promisisse Ei, si suus esse vellet, ut Sororem*

suam remitteret ad Dejoden: statim exiisse Illam, et Se suomet ore et amictu induisse, et fuisse ex polliciti fide ad Dejoden remissam.

Cum novum hoc Nuptorum par dulcissima egisset ad senectam usque tempora; et cum Coronis ope numinis Sui, (nam Dea erat,) perpetuos Juventae Suae dies servasset, inque sua forma, qua captus fuisset Dejodes, eunte in senectam et canos et rugas marito, remansisset; Dejodes immemor fit Parentis Suae moniti, Deamque sponsam Suam non modo *aris*, sed et *victimis* et *templo*, cultuque, quo superos Deos soluit, excipit: hinc Coronis ad Leonta Se jussu Palladis recipit, et cum Illo per *decennium* exsul a Dejode moratur. Sed cum Leon in Atlantem ultimumque ut putabatur fati Sui eniteretur, etiam de Leonte aufugit, rursusque ad Palladis Filium arsit: hinc Deam de Filio Suo sollicitat; sed Illa gemente voce hoc non Sui esse arbitrii dicit, sed esse *Albionidis; si data sis ab Illa*, ait, *rursus Filii mei eris.* Illa responso laeta ad Albionin pergit, seque Puerili induit amictu, simulatque Juvenem, frontemque parat Puero laetiorem, tristioremque Virgine, sicque adit Albionin: Illa viso Puero flagrat, non aliter quam Vocalis Nympha conspecto Narcisso; et quis sit et de queis terris et de qua Parente oriundus scitatur, felicemque et terram et Parentem dicit, Seque Illis feliciorem fore, si Se taedis formaeque Suae flore, primaeque aetatis igne dignaretur; Coronis ad Taedae nomen obmutescit; *sed ero Tuus, Albioni!* ait, *si Sororem meam velis ad Dejoden remittere.* Annuit Illa, datisque dextris juratisque Diis, exit virgineus transformisque Puer, inque Se rursus suam togam suamque tunicam capitisque velamen resumit, similiaque Sibi in virgineo cinctu redit, et, *ô Albioni!* ait, *a Te Fratri meo dictum audio, Te velle me Dejodi reddere, redde precor, et Tuus erit Frater meus.* O nimium similis Fratri Tuo, voluit Albionis dicere; *esse Nos ab eisdem Parentibus*, excepit Coronis, *eodemque in partu oriundos, esse Nos Gemellos, et Fratre Sororeque junctiores, esse hinc animo et ore eosdem, esse velut unum*

corpus: laudat Illam Albionis Illumque simul, nescitque laudari Utramque in una. *En Te offero,* ait, *Dejodi Tuo,* et obtulit Ei Amorem suum. Laeta nymphe sorteque Palladis potita grates agit; Seque ut ab adspectu Ejus proripit, in limine *esse in Se Fratrem Suum,* ait, *inque una datum esse datamque Dejodi, et futurum esse Ejus, si* Fratrem *unquam nactura sit.*

FABULA XII.

Orpheus redivivus et relapsus in Tartara.

Narratur hic, Orphea *vidisse* Eurydicen *Suam in prima* Taenari *porta stantem, ituram rursus in vitam suam: hinc exarsisse etiam umbrarum locis exeundi; et de hoc supplicasse Judices, et tulisse responsum, quod liceret in vitam Eurydicen sequi, sed nusquam Ei jungi: hinc muneri datum fuisse* Morpheo Somni Deo, *ut in vitam* Illum *per* somnos *transferret; quod cum factum fuisset, nescium et Sui et umbrarum, queis interfuisset, inter Mortales venisse. Sed cum dein in multum orbis quaesitum Eurydicen abiisset, narratur venisse Illum versus Boream, et adiisse Camenam, in quam cum nescius incideret, audiisse diu Illam Sua et Eurydices fata canentem: sed mox cum vates etiam suam lyram tangeret, tactam fuisse* Invidia *Camenam, et Illum e Parnasso Suo expulisse: sed in poenam tulisse a Superis in* comis *Suis unum* Invidiae *anguem. Venisse dein fertur in* Vestae Aedem, *et sono lyrae Suae movisse ignem ab ara, unde exarsisse* Virgines *in iram, et Illum templo Suo expulisse, et voluisse etiam necare, ni Orpheus Illas ope lyrae et canoris Sui a Se arcere potuisset. Sed Lyrae Ejus illa vis inerat, ut omnes qui illam audirent, memores Sui fierent, qui qualesque in priori aevo fuissent: hinc cum Illa in Coetum quendam Virgineum, cui etiam Eurydice immista fuit, pergit, et ibi tangit memorabilem lyram; quae cum reliquis memor Sui fit; sed cum in amplexum Ejus ruere vellet, uterque, ex Inferûm lege, in umbras suas relabitur.*

Eurydice cum jam in Taenaria porta staret, peractisque penes umbras seclis in sua stamina rediret, quae olim Ei serpens ruperat: Illam dum fere in novis auris stantem videt Orpheus, pallidior fit umbrâ suâ, et quasi iterum mortuus exsanguisque, frustra vult plangere pectora, et Eurydicen rursus revocare; sed negata umbrae Ejus vox ad nullius aures pervenit: quod Ei restabat, ad Judices supplex fertur, Seque sub pedes Illorum conjicit, urnasque osculatur: *O per has urnas peto, justissimi Judices!* voce Illis modo intellecta, ait, *ut liceat Eurydicen meam sequi, et rursus in sociata cum Illa fata redire. O me miserum, et me terque quaterque miserum! si in vestra sede sine Eurydice viverem; da modo ut Illam ad orbem sequar; da ut ultimum Ei amplexum dem; simulque misceam prima vitae Ejus mortisque meae oscula; vel da ut Ipsam reducam in fata sua; vestri erit juris, ô Arbitri! me ab ulnis Ejus divellere, meque ab Illa in vestras sedes retrahere; utque possit Illa me labentem meque a Se fugientem videre, ut Ipse quondam Illam; poenasque in nova sua vita justissimas a me exigere. Certum est, ò Judices! ni liceat, quod ante pedes vestros futurus sim, nec lex vestra vestrumque judicium ab urna me abiget: certumque erit, me alteram adhuc mortem quaesiturum esse; in umbra enim mea adhuc extinguar; et in umbram umbra, inque alia et magis tenebrosa Tartara labar, aliosque vobis mitiores Judices mitioresque Parcas inveniam.* Dixit, et in *Urnam* calculos suos jaciunt: en omnes pro Orpheo erant nivei; liberque decernitur Ei transitus in vitam. *O Orpheu!* dicebat Minos, *sequere Conjugem Tuam, preme vestigia, sed lex Tibi dicta sit, ut non rursus juncta vivas Conjugi, quodque juncti in nostra Tartara inque has vestras umbras relabemini.* Nec mora, datur *Morpheo* Somni Deo muneri, ut Illum in ultima sua humo reponat, Illumque in vitam suam per *somnum* remittat, faciatque ut non confinia mortis vitaeque suae sentiat. Jussa peragit *Noctis Deus,* Illumque simul *toto Se* implet, Eique imaginem Eurydices sistit, qualis ante

portam Taenariam steterit, qualis ad Orphea respexerit, qualisque vale dixerit, volueritque iterum in sinus Ejus relabi; qualis et Illa inter vivos Illum quaerat, qualisque rursus in ulnas suas feratur: Et simul ut Orpheus habere *putat* intra ulnas suas Eurydicen, fugit Somni Deus, Illumque in primis delitiis destituit. Vates solutus duplici triplicique sopore Eurydicen semiapertis adhuc oculis vocat, Eurydicenque quaerit et vacuos esse amplexus suos queritur, *Somnique* Deum humumque et *Tartara* increpat, omnesque immites vocat, rursusque in somnum suum cupit, ut visa nuper conjuge frui liceret. At cum Se circumspicit, nescit an in *umbra* moretur, an in corpore; locumque videt et notum et ignotum; videtque Hebrum et collem patentesque ad Olympi finem Campos; videt prope Se lyram novamque chelyn novumque plectrum, videt urnam sine cinere et osse, et ferales hêrbas et cupressos ab ima radice recisas; videtque ipsum diem; Seque in sua vita miratur; et quaerit quo Elysium sit, quoque amnes Erebi, quoque rursus Persephones lucus, quo duces et Animi, gradiensque inter opaca turba; sed omnia quasi peregrina videt. En prope adest comitata grege quodam Nympha; ad hanc jam redivivus in novo corpore anhelat, vixque animam in auris his trahit; et, *ô Dea!* ait, *si una sis Najadum nescio, sive una Dryadum, quae mecum haec umbrarum loca colis, dic tamen inter quos Manes versemur; restitue me mihi, et fac, ut Tibi vitam hanc, si aliquid vitae habeam, debere possim.* Illa ad antiquum novumque hominem stupet, silentioque redivivum Vatem iterum fere enecat. *O, falleris, mi Juvenis!* ait, *quisquis es, non de nostra es patria: Orphea tenes arva; en tumulum sub quo reliquiae Ejus; en Cupressos, quae perpetuo Vatem suum defleruut; en locum, ubi Bacchantium turba Illum armis suis obruerat; en ubi lyra jacuerat evulsa digitis, ultimumque sonum cecinerat; en quoque Hebrum, in quo caput Ejus sine vate nataral: O, mi Juvenis! quam voluissem Te Tibi reddere, redde mihi domum Tuam nomenque, et si possim in patriam adque Penates Tuos*

Te reducam. Orpheus cum Se suaque fata et Bacchantes et necem Suam audiret, stupuit tanquam in saxum obrigesceret, stetitque Ei coma, et horror capillos Ejus strinxit: et ni subito tetigisset lyram, *cujus ope in memoriam Sui redire potuit,* iterum in sua arva animam expirasset.

* * *

Sed post aliquid temporis cum Threicius Juvenis quaesitum Eurydicen suam usque sub Parrhasin Ursam ivisset, frustraque Illam in gelidissimis locis lyrâ suâ revocasset, forte etiam audit *Parnassum* quendam comitatum esse in hunc orbem *Camenam;* hinc Sibi iter ad Illam quaerit, scitatisque Se sponte ducit: et forte in Deam incidit, dum adhuc Illam esse nescit, putatque Se in devia errasse; unde et Illam adit, utque Se viae restituat, petit: *Et dic mihi, mea Nympha!* ait, *annon hic sit Camena, quae Parnassum et Boeotiam quandam incolit; da unum modo nutum unumque digitum quem sequar.* Stupet in Juvene Nympha, nescitque esse Orpheum cum quo loquatur, dissimulatque Se non Camenam esse per *lyram* indicium sui factura; sumit illam jungitque modulamen nervis, et casu Orphea et Eurydicen canit; qualis Ille olim Conjugem ab umbris duxisset; qualisque Illa in umbras relapsa fuisset; et viduus taedas dein pro conjuge castas servasset; qualisque Bacchantium furore septus in aura volucres sagittas stitisset; et tandem qualis in amplexu lyrae suae ultimum cum Illa sonum cecinisset. *O Orpheu!* insonat alta voce nympha, *quis Te amor inter umbras tenet; queis amplexibus Eurydice Te moratur, tantane dulcedo umbrae Ejus est, ut nunquam in orbem Tuum redeas; quid an fila Tua silent; habesne lyram, qua iterum Judices moveas; velisne rursus in rupta Tibi stamina ire, velisne Eurydicen in sua ducere, ingratumque orbem iteratis sonis ulcisci: O nimium lente! nimiumque inanem sine corpore

conjugem amans! exi, ò vates! umbrosis vacuisque amplexibus; redi, si possis, in veros: Te cupiunt fontes, Te cupiunt Lyrae, Te nos, Teque Camenae cupiunt. Haec cum nescia vatis cecinisset, tactus fatis et Eurydices et Suis Orpheus, vix temperat lachrymam: pallescit toto ore, et sine nervo et poplitis renisu in Canentem Deam lyramque Ejus labitur; premitque digitis ora, et inhibet vocem, chordasque ne sonent, rumpit. *Et, ô Nympha! proh! Deos Hominesque precor,* ait, *siste sonum, crudeles sunt mihi delitiae Tuae; vitam novamque animam Vati Tuo redivivo eripis:* Dixit; at adhuc ignotus est Camenae; miratur Illa in Se labentem Juvenem, quaeritque quis *furor* Illum haberet: at Ille sine voce arripit lyram suam, quae rejecta a tergo pependit, simulque Ei vocem jungit: Vox Ejus ut juncta est lyrae, movere se *Parnassus* incipit, *arborque* e vicinis ripis circum fontem Se dare, et umbris et unâ tenebrâ vatem et Camenam jungere: *fons* etiam in labellis tenere undam suam, nolleque in Se suamque lympham fluere, ne murmure quodam vatem obstreperet. *Ipsa Dea* silet scitque nescitque Orphea esse; vocem tamen Ejus invidiosam haurit; tumet pectore, livetque ore, et torve victorem Sui inspicit, sensimque iram et vindictam trahit. *O quisquis es, Juvenis!* ait, *cede locis nostris, Dea sum humi hujus, mea est, quam sono feris, aura; quid an victoriam quaeris in Parnasso, hostisne an amicus venias:* Simul arripit buxum suam conjectura in hymniferos Ejus vultus, ni illam Orpheus canore suo in medio ictu stitisset. Abit Lyricen, jusque fasque testatur, vindicemque Olympum poscit; ut poscit, en *unam hydram* inter comas nymphae Parnassidis videt, quae jam in fronte capite tenus prorepsit, jam Se occuluit, jam rursus prorepsit; et Deam circum tempora sua irrequietam reddidit. Nympha dum sentit in capillis *anguem* unamque *Invidiae* comam, territa in altum ab humo exsilit, laceratque sinum, vultque etiam unguibus in crines ire, sed timet hydram, timetque vulnus, culpamque fatetur: et tandem floribus ab humo lectis hederaque frontem tegit, aliisque

comis incingit, vinclisque anguem impedit, ne in frontem Cultoribus Sui manifestus surrepat.

* * *

Intrat etiam Vestae Aedem aditque Aram, et Se ibi locat, veniamque rogat, quod Se Nymphis sacrisque intermisceat; *habere sonum*, ait, *in Deae Illarum laudes, habere in nympharum delitias:* plectit statim nervos, vocemque sociat nervis: volvit Se in aedis lacunar sonus, referitque Se iterum in Vatem, sociatque Se chordis suis, caditque bis iterumque in aures. Dum intendit lyram, en marmora cedunt loco, patentemque nusquam aurem advertunt. Dumque sacer ignis in aëre volat, stupet Ille, tanquam aures haberet, in sonis, et nescit in focum redire, manetque sub tectis oblitus fomenti relapsûsque ut reparetur. Vestalis turba ut pendulam in aëre *Deam* videt, enectam esse putat; *et, ô alta voce,* clamat, *sacrilege! quisquis es cede sacris:* stimulantur in iram, junctimque seorsimque in Illum ruunt. Cum videt in Se rebellem turbam Orpheus, redire fata sua putat, esseque in Vestalibus Bacchas, subque axem venisse Edonidas, jamjamque occubiturum esse telis Illarum: inermis stat, lyram modo, qua se protegeret, habens; illam movet, postque illam latet: dumque involat nympha, protenus velut icta ad sonum Ejus subsistit, fugitque victum hostemque suum; altera ut levat in aëra brachium, illud sine nisu, sine nervis remittit, fitque supplex Orpheo, quod nefas tentasset: pars dum minas spargit, desinunt minae in sonum similem ei quem canebat Lyricen. Sed Vates, redeunte in aram Dea, abit, esseque quem vellent laedere, Orphea dicit.

* * *

At dein Orpheus soli Sibi delitiosus erat, umbrasque in patentes campos traxit; hinc redit ille magis magisque in fata sua, *(illa enim vis inerat lyrae;)* videtque illa

bis iterumque in Se renovata, bisque et iterum Se mortales interfuisse; junctumque Flacco semel vixisse, movisseque cum Illo lyram, chordasque sub Maecenate sociasse. Forte etiam cum solus in Viretis obambulat, audit procul Puellarum sonum in aures suas confuse venientem; statimque ut tollit vultum videt etiam turbam virgineam gaudia et festiva miscentem, ducentemque choreas, et animantem alta voce delitias suas: Vates versus ad Juvenem quendam, quaerit quid sibi vellet Puellaris illa turba; Ille esse diem *Vertumno* sacrum, retulit, esseque primum quo corollis hederisque frontem velare, et quo nymphis agere *veris* aetatisque suae gaudia liceat: ridet Vates, et comitante Illo, turbam adit, eligitque Sibi sub fronde cespitem; statimque ut intermittunt vocem Puellae, excipit Vates, lento primum vocis tractu, quam sensim intendit, intensamque jungit lyrae: en mirum, tota salientium cohors, ut erat prona corpore in gyros pedibusque in numeros, Se sistit, pendetque in gestu suo, pedemque unum vix ab aura trahit, haeretque in Vatis Sono. Pars ut trahit Sociae palmam in choreas, flectit iter rectaque in Vatem ruit. Omnes habet stupor, silent agitantque voces simulque fata sua, elapsamque in altero aevo vitam: quaelibet in Se redit, et stat velut in alio aevo animam traheret.

Forte etiam inerat turbae Eurydice, sed alio nunc corpore amicta, alioque in orbe vivens; mens tamen eadem erat, idemque amor quem intemeratum Orpheo Suo olim servarat; Illa ut audit lyram, Se simul illumque agnoscit, pallescitque ore omnesque artus tremit, statque stupens tanquam iterum ab Aspide icta: deficiunt in tanta laetitia vires, pronaque succidendi in medium Orphea ruit, lapsilisque in amplexum Ejus lyramque cadit, multoque silentio Se Eurydicen esse prodit: Orpheus ut agnoscit Eurydicen, cadit lyra Ejus ad utriusque pedes tanquam reduces osculatura. Sed, ô Coelum! lex erat dicta, ut in umbras suas, si juncti essent, relaberentur: en quo cecidit lyra, aperit Se tellus, hiatque facitque labrum, quod duorum corporum spatio par erat, ictuque

oculi citius, sociatis ulnis sociatisque millies osculis in umbrarum loca recidunt.

FABULA XIII.

Parnassus Sonans.

Narratur migrasse Camenam *ad terram* Borealem, *et ibi* Parnassum *quendam posuisse similem Ei quem in Graja humo habuissent: sed cum illud sine venia Martis terrae istius Domini factum esset, Parnassus Ille factus est a tubis* Martiisque clangoribus *sonans.*

A Parnasso Suo aque Helicone fugatae Camenae per orbem alias Sibi sedes quaerunt, et ubicunque Fontem Lucumque quendam Palladi Phoeboque sacrum vident, subsistunt et ibi sacros Suos Lares figunt. Cum una Illarum per multum orbis erraverit, nec locum invenerit Carminibus Suis lyrisque aptum, *Sarmaticas* Tellures linquit, nullam ibi Echo, quae sibi resonet, inveniens: linquit et *Danubii* arva, nullum ibi Phoebum reperiens: tandem sub *axem* inque *Mavortis terram* pergit, ubi licet frigus senserit fontesque Suos glacie obductos, esse tamen multum ibi Apollinis, esse terram hospitam et Nymphas habiles lyrae; esse mores quales Sui; esse Sororum facies: multa placent, trahitque tellus geniusque Ejus Puellam, eligitque Sibi humum, positisque lassis Penatibus, *haec mea Parnassis erit,* ait; signatque locum digito, paludemque luco coronatam *Helicona* dicit; jubetque e terra fontem exire, quem *sacras* suas *undas* vocitat: Parvam simulat Aganippin, parvumque collem et Olympum, et omnia sepimentis frondiumque juncturis includit: seque Ipsam *putat* non in peregrina magis, sed in patria esse Tellure. Pallas et Ipsa ingeniosam vocat Puellam, translatam dicit *Boeotiam,* translatumque *nemus* et omnia Deam sub *axem* comitasse. Dum laetissima est, et lyram suam pulsat, et jungit lyrae carmina, et carminibus delitias, risumque delitiis; cumque sacram suam sedem innocuis gaudiis initiat; en venit *Mavors,* inque novam illam Tellurem Axes Suos Bijuges-

que urget; et, ô *quam effigiem Parnassi video,* ait, *quae Dea regna mea incolit; sedesque Sibi patrias posuit: rogandae forent prius nec inhospites fuissent.* Porrigit Illa porrectam prius frontem, aque Marte ut Sibi exiguas has delitias Laresque e Graja translatos concederet, petit: Mavors *habebis,* ait, *sed quia injussu ingratiisque venis, scies tamen Te penes Martem habitare: sonans erit nemus Tuum de tubis meis, de tympanis, de tibiis, tuamque lyram interstrepent.* Dicta sequitur fides: cavatur Tellus, hucque et illuc in orificia Se pandit, impletque Se Vento et Aeolis et utribus, *sonumque Mavortium* a Se sponte animat: Jam *buccina* lato ventre tortilis totam viciniam in arma vocat; jam *tympana* in pugnam inque fugam milites hortatur; jam *classica* sonant, putaresque signa classibus in pugnas dari. Pallas fere delusa Camenam suam hostibus cinctam esse putans per multum aëris in opem Ejus devolat. Sonat Parnassus spiratque modo bella et silet canor nympharum inter tot clangores; sique non sileat, interceptus in prima aura interque tubas moritur. Sibi Ipsi canit Nympha, Sibi modo delitiosa est, suasque modo animas, suasque aures mulcet; et usque modulatur; speratque humum Ventos et Martem Suum expiraturam, et otium Sibi et patentius cantibus suis coëlum daturam esse.

FABULA XIV.

Animalia ducta ad Fontem.

Refertur, ducta fuisse a Camena varii generis animalia *ad* fontem, *ut in Illis Aquae Suae vim videret: unde* Equum *ex epota lympha factum esse Aligerum;* Capram *miscuisse lympham uvis:* Agnum *factum ovem et gregis ducem. Et* Canem *lusisse cum aqua.*

Cum Camena fictum suum Parnassum posuisset, Seque in sua humo velut relocasset, fontemque Heliconium habuisset; ut undas Ejus et vim experiretur, *Animalia* ibi, quae in pascuis erant, tibiis ad Se allectat. Venit *Equus* alta cervice patulas in aura nares, tanquam vidis-

set Equam, tenens, statimque undis rictum ingurgitat: Sed mirum dictu, cum Ille vix unum haustum traxisset, Alae Bibentem superveniunt, operiuntque lumbos Ejus, fitque *novus Pegasus:* cumque in pascua Sua recurreret, velocior se currit, saepeque gressum obliviscitur, et sponte Sua quo vellet, fertur. Venit etiam *Agnus* cum *Parente ove,* duciturque a Nympha et simul a Matre Sua ad undas, ut lac suum aqua misceret: ut haurit impiger, longoque tempore trahit; refugit in herbas, salitque et modos in saltu et numeros effigiat; matremque deserit, fitque alîus gregis Dux et Princeps pecus. Venit etiam *Caper* Dux gregis Sui, tenetque unum in lympha pedem luditque circum fontem et *capreas* facit; et jam cornua subjectat latici, spargitque illum circum ripas: moxque cum vix lamberit aquam, incurrit ille ulmo, rictumque uvis rubefaçit, miscetque vitem lymphis, Bacchumque Camenae, adque suum gregem non transformis recurrit. Erat etiam *Asinina proles* canitie tecta, quae tarde etiam cogitur ad undam, sperat usque Dea in illa pigritiem suam deposituram esse: hinc mergit fera cum tota fronte rictum, lenteque tenet et inquinat foedatque ore aquas; Seque cum diu mirata esset in fundo, cum pleno ventre revertitur: Dum redit, aures trahuntur longius, inque *frondem* quandam porriguntur; sed simul ut frons erumpit, marcida fit, et decidit tanquam sine succo sine Sole fuisset; pigriorque in pascua sua redit. Restat adhuc *Canis,* qui sponte Sua currens mordet aquam ipsamque Deam, seque videt in unda, putatque Se alium esse quem e lympha tanquam sua vellet arcere: Cumque diu Sibi infestus circum fontanas ripas cucurrisset, et morsu Se appetiisset, suumque rictum in suo mersisset, aufugit rursusque redit, Se iterum quasi quaesiturus, nec undam nisi abactus deserit: nares modo quas lymphis immerserat patentiores fiunt et sagaces, inque sylvam tendit, et feram escamque odoratu vestigat.

FABULA XV.
Aries e Cinere Leaenae.

Narratur in hac Fabula Leonem *quendam missum fuisse in orbem a Superis, ut iram Illorum satiaret: et multa vastasse, multumque terrae caedi admiscuisse; tandem circumseptum a Venatrice turba; sed per fila effugisse in alias orbis plagas relicta* Leaena *sua: unde hanc fuisse captam et Deae Rhamnusiae immolatam. Sed ex Cineribus Ejus revixisse* Arietem, *qui ulturus caedem* Leaenae *in* sacrificantes *impetum fecisset, multosque neci dedisset inque fugam egisset.*

Leo cum caede et terrore multas terras implesset; cumque *venatrix turba* relictis venabulis pilisque et sagittis vitae Suae fuga consuluisset, insequitur *Leo* rumpitque fila, viamque Sibi in fugientes facit, portasque et tecta effringit, miscetque thalamos caede et totas domus terrore. Confluit vicinia iterumque illum ruptis filis circumdat, fatalemque reddit viam Refugituro, sepitque undique recursum. At *Leo* fulmineam frontem jam huc, jam illuc versans per ignem perque arma et retia fatique Sui insidias vi et pectore hamatoque dentibus rictu facit, et incomitatus Lea Se in orbem alio Sole calentem ignotaque arva conjicit. Ut *Praedatrix turba* Leonem in fuga videt, circumstat omnis *Leam* conjugis orbam et indefensam, relictamque, et illam geminato animo telisque et igne sub vincla Sua cogit. Confluit ad praedam vicinia, et vindictam oculis captat, et laetitiis vanisque palmarum plausibus vulneratam circumfundit. Sed ut Hylactor terrorem Suum in vinclis stare videt, vix tenet Ille manum vixque telum, quod in ligatam voluisset mittere; dumque minatur, brachiumque operose in aura jactat; *O Comites! quid moremur,* ait, *quid non expleamus iram vindictamque nostram: Cur non iterum acies nostras adspectu vastatricis ferae vulneremus: ruamus telis nostris in vinctam, sontemque tot caedum animam totque criminum, in arva nostra ejiciamus; piemusque sanguine Ejus sanguinem tot Amicorum; auferamus illam in victi-*

mam, solemurque tantis inferiis Laesorum Umbras; et si placeat, ô Socii! sacram illam Vindictae Deabus faciamus. Dixit, et murmure assentit turba, unoque ore esse justum, *Manibusque Suorum* debitum, dicit: hinc statim pars ruit in Cespitem, moliturque rastris et ligonibus *scrobem,* paratque aram Rhamnusiae, quam glebis torisque gramineis circumcingunt; pars ruit in proximum focum, spoliatque illum *face* sua, inque fata Leaenae sacrosque usus portat: pars cum *cultris malleisque* adsunt, necisque instrumenta sub victima Leaena reponunt: pars *ligat* pedes et *secat* ungues, victoresque artus ferro et aere stringit; praedamque et vinctam neci parat: Turbaque Flaminea *malleis* caput Ejus tundit, milleque ictibus vivacem animam frustra expellit. Alii cultros subdunt jugulo, urnisque excipiunt sanguinem generosum, multaque anima plenum: omnis ut lethifica manu contingit Leam, tremit retrahitque brachium, centiesque vulnera sua geminat, timetque in Se rictum excisosque modo ungues, et putat victimas victimae Suae fieri. Pars sibi per fibras viam in pectus cordisque sedem parat: vixit adhuc cor, pugnasque egit, hucque et illuc in praecordiis Suis Se motavit, et ictibus validoque renisu eviscerantis brachia perculit. Timet adhuc turba, cum Animi furorisque Ejus sedem vivam pugnantemque videt: sed mox ut extincta erat, portantur viscera, Victoresque spirantesque sanguinem armi in ultimos focos: flamma rapit viscera, alimentaque quaerit in Leaena, lateque Se tanquam victrix in multum coeli diffundit. Sed ut in fumum cineresque relabitur Regina ferarum, en mirabile visu exserit Se e favillis capite tenus Aries, paulatimque altius Se levat, tandemque *rogo Leaenae* Suae toto corpore insistit, monstratque Se *Vindicem* Parentis populo, redivivamque in Se Leam, quam Deabus Inferûm sacrarunt. In fronte et ungulis Ejus *ferratae* erant *falces* et in cornuum modum recurvae; nares erant pandae spirantesque *ignem* evomentesque rogum Leaenae suae: statimque ut vivit, inspectat turbam, obversatque novam animosamque frontem nunc in hunc, nunc in illum, nescitque in quem prius vindex e rogo

tumuloque Genitricis rueret: momenta capit et ab hoc et ab illo; tandemque flammâ citior ex urna sua erumpit, inque hostem et Sacrificulos impetum facit. Hic ut anima sua ignem suscitat necemque Leaenae vitâ Suâ juvat, in illum irruit, et flammis suis ignivomâque animâ operit, Ejusque cum Leaenae Suae rogos miscet: Hic ut cineres et ossa in cadum inque aetatum multarum monumenta legit flammivomo halitu obruitur, eisdemque in favillis miscetur, Ipseque Suas reliquias legit: Pars ut adhuc operose dissecat membra, falcatis cornibus involvitur, caditque sectus in prosecta, artusque in artus. Pars ut stat stupens, nescitque an fugam, an arma capessat, inopino ictu et vulnere ante pedes Suos cadit, frustraque fugam et arma capit: ut plicat Hic dextram, vindictamque suam prece votisque satiat, secatur; adque inferos junctis adhuc palmis dictisque votis in precantis gestu aufertur. Unus etiam ut timet Leaenam timetque Arietem, miraturque in arena adustum cruorem, corruit, suoque sanguine arenam tingit, Seque in Suo cruore miratur. Turba quae circum campos strata fuit, cum redivivum iterumque Victorem e Leaena arietem videt, eosdem campos fugâ implet, conjicitque Se in lustra inque sylvas: et ni Tethys Dolydanen eripuisset, eisdem flammis eisdemque Leaenae fatis occubuisset.

FABULA XVI.

Certamen Cybeles et Jovis.

Traditur stetisse aram *quandam in confiniis duorum lucorum Jovis et Cybeles, Utrique et Nulli sacram; sed ut Unius fieret, placuisse ut de illa certarent utriusque Dei jugales,* Leones *et* Aquilae: *sed vicisse Leonem narratur, et Deae suae aram vindicasse; unde iratum Jovem, Victorem neci dedisse.*

Duo erant *luci* contermini *Jovi* et *Cybelae* sacri, quorum in confiniis stetit *vetus ara;* in quam honos totique greges et buccera armenta indies ducebantur: sed nesciebat incola Cui Deorum sacra staret, stare utrique putans: nidor fumusque in utriusque lucos volabat, balatusque

ab Echo utriusque nemoris resonabat; sanguisque in laevam sparsus penes Jovem erat, in dextram, pro Cybele fluebat: uterque etiam litabat, dicebatque uterque Suam esse. Interim ne lis et discrimen ad Parcas et ad Terminum Deum referretur, statuitur quod Illius esset, cujus Jugales cursu alterius vincerent; placuitque ut unus Illam in victoriae palmam auferret. Uterque Bijuges curribus suis aptat, Cybele *Leones*, et Jupiter *Aquilas;* et dato signo pariter e carcere emicant, pariterque per declivia convexaque coeli ad *Aram* quae in Olympo stabat, volat. Ocior est fulmine suo *Jupiter*, ocior etiam *Cybele*, Quisque suos et verbis et minis lorisque stimulat. Terque erant Aquilae in pari cum Leonibus passu; et ter in ambiguo palma; et ter relictae post multum tergi. At post aliquantum spatii fulminis more in aram involant *Quadrupedes*, seque victricemque Dominam insuper locant, venturoque Jovi *Aquilisque* Ejus jactant. Non tulit hoc *Rector Olympi*, ut stetit in *metâ* sublimis, erectusque jubis et cristis *Leo;* subitae Illum neci fulmine Suo dabat: et insuper adjiciebat; *ô Cybele! Victrix es, sume etiam spolium, Leonis Victoris Tui exuvias; reliquum fac in primam victimam arae Tuae cedat. Facesse, Mater! irasci, vixisset Leo tuus, ni Jovem a se victum jactare potuisset.*

FABULA XVII.

Leonis Pulli in Virgines.

Cybelen in praemium victoriae vertisse duos Leonis pullos in virgines venustissimae formae; et tradidisse Eis in custodiis currus Suos et Leones.

Ipsa Deorum Mater indoluisse neci jacturaeque Jugalis Sui dicitur, et victoriam Sibi nimio constare dixisse; et jubas Exspirantis frontemque plausisse; et esculeis ramis circum aram suam lectis cinxisse; subque victoriae sede tumulasse; non ut victimam, sed ut arae Suae *vindicem;* et has insuper notas adscripsisse: *Hic jacet Leo, qui victus Jovi victorque fuit: quique nisi*

Ejus, nullius igne occubuisset. At cum Dea dedisset aliquot dies questui, forte videt *pullos victoris Sui;* hinc in Illis fit cladis suae memor; et, *ô victrices!* dicit, *en praemia Parentis vestri:* statimque vertit Illas in Virgines: tenuatur corpus, induitque sinum, sinusque mamillas, haeque Se intra duo brachia locant: abit villus in amictum adhuc villosum, amictusque in tunicam tegmenque novi corporis; rictusque in multum oris pandi in labella; orbesque luminum in ocellos: fiuntque Sibi dissimillimae, Sibique peregrinae, seque nec in novâ nec in priori formâ agnoscunt; mirantur Se elumbes et imbelles; et facies suas sine minis esse: statimque Se Deam circumfundunt, novisque amplexibus Dominae Sibique gratantur. Datur insuper Eis munus, ut Illae essent quae jungerent Bijuges curribus; quae lassis vincla demerent; inque pascua et manibus suis lecta pabula remitterent.

FABULA XVIII.

Dolydanes in Elephantem et Pugna Ejus cum Ariete.

Cum Dolydanes *rapuisset unam* Leonigenam, *indoluisse fertur* Cybele; *et in currum suum sumsisse* Arietem; *Illumque contra Dolydanen demisisse: sed fuisse Illum prius versum a Libero in* Elephantem; *a quo cum victus et vulneratus esset, rursus in formam suam reversum fuisse, et raptum ope* lyncum *in fugam.*

Sed cum *Dolydanes* unam minimamque *Leonigenam* rapuisset; non tulit hoc Cybele, volat illa in rotas suas et manibus arripit lora, agitque jugales, et illos praecipitat in solitas Leonigenae domos. Sed cum ab altâ nube spectaret, Dolydanen jam dum in Avi Sui regna venisse; sistit Dea cursum, flectitque axes versus ursam septemque Triones; nec moratur, quam supra mediam Ariadnes tellurem staret. Cumque oculos adhuc irâ tumentes huc illuc versat, en *arietem* videt falcatis corni-

bus animisque ignivomis truculentum; visuque citius, *ô fruar vindictâ meâ,* clamat; *ultor hic Leaenae fuerat, ultorque hic Leonigenae erit:* simulque Illum accipit in rotas suas, atque ante pedes jam mitiorem jamque nil nisi blanditias spirantem locat, volatque cum Illo supra terras et aequora, nec sistit prius iter quam rursus staret supra Leonigenae Suae tectis: cumque stat et dubitat an intraret adhuc inulta violatae Virginis Lares; en videt ad limitem Telluris Suae spatiantem Dolydanen, et rapinâ suâ spoliisque opimis ovantem, et euntem in Comitum occursum, ut victam Sibi Leonis prolem et thalami et tori Sui praedam esse jactaret: non tulit hoc iterum Cybele, statimque Arietem suum submittit terrae, cum prius mulsisset plausissetque cervicem Ejus. Qui ut rursus hostem suum Dolydanen, unumque alterumque Ejus comitem videt, redit Ille in furorem suum, ruitque vix suus magis in occursum, miscetque auras viasque flammis, totumque obruisset, ni Ille tetendisset ad Superos palmas, omnesque in opem sine nomine vocasset. Timet Evan Nepoti Suo, Illumque oculi ictu circumdat obeso multoque corpore, tollitque altius in auras, datque pedes et crura sine internodiis; et trahit longe e facie nasum, et Illum in rostrum quoddam sinuosum porrigit; aperitque orbes luminum; et dentes in ebur versos trahit ab ore circumque rostrum obliquat; totumque *Elephante* operit. Stat Dolydanes subito Se major, statque Sibi murus et agger, tutusque in aliâ ferâ feram expectat. Ut videt *Aries* in Cybeles Suae terrâ *Indum,* tormento flammâque suâ citior ruit, inque Illum falcatis cornibus lunatisque ungulis animisque ignivomis saevit: jamque operit Illum flammis, involvitque totum fumis; statimque involutum deserit, Seque in fugam conjicit; iterumque novis involvit; et ter quaterque insilit, altusque in tergo stat et Illum ungulis soleisque in falcis lunarumque formam recurvis notat. Moxque dum Elephas vix dimidiam frontem circumflexerit, longius in fugâ abest; rursusque redux in eodem vulnere haeret, et ensibus viam Sibi in viscera Ejus facit. Sti-

mulatus tandem furore suo lentus Elephas, rostrum suum exporrigit, circumque in aëre vibrat, et corripit obvia et elidit, multasque in partes diffringit: Jamque alte sublatâ cervice subjectat rostrum, tergumque suum et vulnera flagellat, correpturus ipsum Arietem; sed Ille fulmine citior jam in fugâ est, jam in tergo: fertur etiam in mediâ fuisse fronte, et implicitum sinuoso Elephantis rictu inque altum ab humo levatum esse, sed Se in sinu isto cum ferro et igne circumrotasse, multumque spatii Sibi in vulnere Suo fecisse; et ni subito in terram remissus fuisset, laniasse frontem, totamque Illam vultûs partem dissecuisse. Stat Elephanteus Juvenis, timetque Sui, vultque rursus in Olympum levare manus, sed non habet brachia manusque quas levet: vultque Avum suum Thyoneum rursus vocare, seque carceri inclusum esse dicere, esseque Elephantem Sibi vincla non moenia; sed non sequitur verba sonus: ardetque a Corpore et mole suâ in fugam suismet pedibus; sed nec sequuntur impetum pedes: dumque Ille in primo pulvere haeret, rursus in Se sentit arietem. Tandem ut videt Illum Avus in fugâ, revertisse Illum dicitur suumque Sibi Nepotem restituisse, illumque sustulisse in *pantheras*, inque suam humum, sed Vulneratum notatumque ungulis, et mox etiam revinctum ilia fasciolis revexisse.

FABULA XIX.

Bellophroon in Undam, et Polycithes in Sagittam.

Bellophroonta *Tethyos Filium* et Polycithen *Martis et Veneris, audito Elephantis fato, timuisse; quia alteram Leonigenam vinctam filis habebant: et versos fuisse Illum in* undam *a Tethy, Hunc vero in Sagittam a Venere.*

Dum adhuc in ambiguo esset pugna, dicitur in aëre stetisse *Famam*, et animas pennasque simul tenuisse; statimque ut in fugam vidissent Dolydanen, volitasse Illam ad Bellophroonta et Polycithen, et interruptâ voce brevibusque animis interpunctâ narrasse utriusque tam

Dolydanis, quam Elephantis fata, simulque adjecisse, *affore jam jam hostem Illorum, eodemque impetu in Illos ruiturum, iramque Cybeles, quod alteram Leonigenam vinctam tenerent, expleturum:* ut audit hoc Bellophroon, salit Ei pectus, palmasque jam ad Olympum, jam ad Tethyn, quam adhuc Parentem suam esse nesciebat, tendit; optatque Fugae locum vel circum Se Elephantem aliosve Artus, sub queis veniente Ariete lateret; ut stat, funditque preces, labitur Ille pronus abitque in *undas* Genitricis suae, et liquidus tingit humum, et lubrica facit vestigia sua, Seque Ipsum in gressibus suis fallit; et statim cum murmure quodam huc illuc fluit, latebramque quaerit in quam superveniente hoste influat. Etiam Polycithes cum videt liquentem in undas Comitem, ruit et ipse in lympham Ejus, vultque in eandem cum Illo fugam abripi; statque oculis timidis et obliquatis et alternatim flexis jam in plagam Hosti Suo obversam, jam in plagam Fugae, capitque momenta ab utrâque: sed ut intra spem metumque medius stat, exuitur etiam Ille ore suo totâque loquelâ, nescitque votum suum; fitque Parentis Suae sagitta: abeunt capilli in alas pennatosque hamos, tenuantur crura in arundinem, et in cuspidem quandam acuminantur, fitque volatilis, optatque arcum et manus, ut emissus in Hostem inque ilia Ejus jam tutus securusque vulneris feratur: Sed timuisse Nato suo putatur Cytherea, Illumque in Fratris Ejus pharetrâ locasse pectora Molliorum interea trajecturum. Sed cum utriusque Parentes viderent Arietem in alia arva aberrasse, ne orbae essent, restituisse Sibi natos feruntur, et Illos ab inanimatis his in suamet corpora revertisse.

FABULA XX.

Aries filis Captus.

Indigne tulisse Parcas *fertur, quod unus* Aries *tot vitas et stamina rupisset: unde etiam confecisse pro Illo* stamen, *et duxisse Illum in* lucum *Cybelae sacrum; in quem subsequutos fuisse* Venatores *et Il-*

lum laqueis *vinxisse et* labyrintho, *aliisque retium dolis cepisse, et captivum abduxisse.*

Cum *Aries tantam stragem* fecisset, hominesque et feras et ipsas *urbes* incendio vastasset; et *Latonin* litoris nympham Oceano immolasset; pleneque iram Cybeles satiasset; feruntur *Parcae* indoluisse, et e colis suis fusos huc illuc dispersisse, *et esse* dixisse *sine imperio, esse stamina sua irrita, cum unus Aries tot rumperet:* multa producebant in quibus adhuc tantum vitae restabat, quantum emensum fuit: nec prius Hominum vitas precibus Superum recepisse, quam etiam Arietem sub legem Suam misissent, unumque implessent arundinem, qui ab Illo etiam evolvendus esset. Mox *fato* suo fertur *aries* in *saltum* Cybelae sacerrimum, in quo per *decennium* nullus herbas frondemque ceciderat; nullusque ramos vitesque Jacchi putarat, et sylvae luxuriem domuerat. Omnia ibi ridebant, nilque erat quod vulnera falcesque timebat. Hunc intrat Aries, sequiturque Illum *venatrix turba,* cingitque illum *indagine,* totumque Deae Ejus nemus Illumque includunt carcere, dum adhuc Se sub liberrimo Jove fore putabat; undique illum ferro et aere sepiunt; ex ferro erant fila, exque aere pilae triplici ordine positae. Adest *Bellophroon* et *Fortivenes,* qui tota agmina, sed unum hunc hostem sternere nequiebant: Adest *Dolydanes* qui adhuc substricta gessit ilia, et vulnera linteolis et herbis operta: Adest etiam *Rhoetes* nobilis Venator, qui fugato Leone Leam totamque Ejus domum sub vincla misit: Adest etiam *Beritanes* et duo Fratres gemelli *Lecybes,* qui ab ariete in homines versi civilia bella gerebant, inque suum genus et forte in Parentem aut Nepotem ruere videbantur. Adest Centauri proles *Typhos,* qui ab Ariete brachiis truncatus ferrea habebat, amplexusque dabat conjugi et natis ferreos, catenisque et vinclis illos inclusit cum vellet ulnis; jam tutior tamen incessit, nullumque in brachiis vulnus timuit. Adest etiam retia tendendi gnarus *Versutelejus* dolis suis ipsisque insidiis versutior; agmen erat non turba, omniumque ad retium portas custodias agebat.

Aries cum turbam et venabula et enses Se circumspectat, fulmineam frontem nunc huc nunc illuc cum igne versat, quaeritque locum et hostem in quem primus ruat: quisque ut notatus erat, genua tremuit, et ora buxo pallidior stetit: jamque ipsum Bellophroonta in multum fugae adspectu vertit; jam Dolydanen, qui Parentis Sui jugales protenus optabat: jamque in fila rursusque in arma volvit, Illosque in Se praeoptat, ut ab illis impetum iramque capessat: at ut hoc versat languetque ardor Ejus, en ab unâ parte videt rupta fila et viam per indagines patentem exitumque spemque fugae Suae: *insidiae* erant opusque Vulcani et *retia* quae et ipsum diem possent fallere; stamina ipsâ aurâ tenuiora, queis posses ipsam *Irin* ad *colores* Suos, ipsamque *Junonem* ad nocturnas *nebulas* vincire; queisque *Auram* cum quovis *Aeolo*; et *Najada* cum *undis* quovisque Amne; ipsamque *Dianam* Ejusque comites in Se agere: Talia erant qualibus innexi Mars et Venus quondam jacuerant. Insuper ut dolus sine dolo foret, insidiaeque sine fraude; coelum etiam pilis adpictum locarunt, tanquam per coelum possent retia jurare subfore nullum astum: insuper et adjecti erant campi et saltus morantes lumina, et in Illis amores Ejus, unumque alterumque Arietum par, et inermes Nymphae, et Damae incomitatae cane; scilicet ut adhuc securior esset, perque illa in tutiora et a morte in delitias proliceretur. Utque adhuc major esset dolus, *labyrinthus* erat intra falsum simulatumque coelum, qui per mille limina et per mille vias exitum multiforesque redeundi spes haberet: ruit Aries, putans jam jam in coelo Suo cumque Suis fore; spemque fovet et in cursu auget, nec Se circumspicit quam cum in simulato Coelo inque metâ, et in filis staret. Rursus e plagis in Aream suam hostemque ruiturus, en in portas centuplices, perque viarum errores et ludibria in interiora magis Se conjicit. Cumque vane in retia inque Coeli Sui fidem saeviret, circumstant hostes adhuc pavidi, illumque jam Inermem cum igne et ensibus et Sibi et Illis irascentem usque e vinclis in vincla ducunt.

FABULA XXI.

Palladis Insula et partus.

Narratur hic, tactam fuisse cupidine Minervam *redeundi in priscum Saturni aevum; et de hoc sollicitasse Superos, sed repulsam tulisse. Unde Illam orbem priori similem sibi creasse, qui ita spiraret auris vitalibus, ut omnia quae posset animaret; et simul animasse Deam suam Pallada novâ quâdam vitâ, et gravidam fecisse Illam cum somnum aucuparetur, et Infantem vocatum Dejoden post annuam moram peperisse.*

Capta fuit cupidine *Pallas* rursus inter Homines vitam agendi, inque aureum sui suorumque seclum redeundi, deque Illo sollicitavit Jovem reliquosque Coelites et Parcas, petiitque *ut retexerent Hominum fata, rursusque per Nepotes ad Parentes Avosque referrent stamina, et usque ad Ipsos Deos, in queis desinerent.* Idem etiam saepe ab Apolline rogavit, scilicet, *ut reduceret per saecula tempus suum, Solemque et rotas suas ab Occiduis ad Orientis* Sui *undas reveheret, sensimque in aurum inque Aeva* Ejus *cum toto Olympo rediret.* Nulli non suas delitias suaque otia spondet, Apollini Daphnen non in Laurum magis vertendam, ipsamque etiam Leucothoën non humi magis occulendam; Venerique Adonin; Jovique Parenti Suo innumeras faces. Sed cum Illa videret *Parcas* precibus Suis irreflexas esse, timendasque fore Gigantum pugnas et *Chaos,* Palladis aevum in nihil recidit. Interim tamen, ut voluptati Suae daret effluxae aetatis delitias, Ipsa Sibi ex humo enasci jussit *Insulam* simillimam undique Orbi, quem praeoptabat. Imago erat Veteris lactentisque *Telluris;* eadem ibi vena sub cespitibus fluxit, Eidem rivuli tumentes *Auro;* undaeque eaedem, quae fluxu et refluxu imitantes Maeandrum cum *Najadibus* ludebant. *Floraque* rursus se perpetuo ibi videbat, quamque Ei enecabat rosam Apollo, statim *Illa* aliam vice Ejus reviviscere jussit. Fertilissima etiam volucrum turba cen-

tum ovis centumque implumibus pullis ramum onerabat: Ex foeto cespite sine cunis, sine ovo saepe evolabat nova volucris, quae recens nata nullum invenit consortem, nullumque habuit qui se agnosceret, quique escam porrigeret. Apisque recens ortus matutinos rores vernasque delitias exsuxit, et quia hyemem non timuit, mella sua nullis Penatibus nullisque nepotibus recondebat. Nilque erat quod non ver quoddam perpetuum spiraret. Animae ibi per quamvis fere glebam volabant, quaerebantque quid corporis quod animarent; Ipsa Pallas tacta dulcedine Soli sui, Se in *toro* quodam graminis reposuit; statimque *pinguissimo* sopore resoluta, a *rore* undique quem exhalabat humus, circumfusa est: et quia aurae erant *vitales*, pars Earum etiam in ilia cessit, Deamque ignaram vitâ quâdam novâque animâ implevit, quae eunte Lunâ se etiam corpore circumdedit, Deamque impraegnavit. Facta est Dea indies gravior, cepitque uterus Ejus accrescere, cujus sarcina prodiit Deae furtivam quandam prolem intus delitescere: Cumque Illa saepius sentiret onus, territa fit, animumque in omnia versat, scilicet num aliquis in se *Deus* fuisset, furtimque Venerem suam libasset: quoque magis quaerit, eo latet magis. Dinumerat dies mensesque quos infans habere putaret, tandemque revertitur in tempus, inque diem, ipsamque horam, quâ gravata jacuit somno in humo suâ; aditque locum et quaerit Floram Deasque novas Telluris suae; *an se penes sub tempore somni aliquem* Deum *vidissent.* Ignorant, *sed esse* vitas, dicunt, *quae circumvolitent, fortassis unam fuisse quae ab illà nasci vellet.* Tendit palmas Dea, pectusque et simul novum infantem plangit, testaturque Deos Deasque intemeratatam esse, fieri se Matrem sine Parente, esse se Conjugem sine Conjuge, torumque se scire sine Consorte, et adulteram fieri adulterii expertem: risisse dicitur Hymenaeus et sine face Illam circumvolasse; Amorque et Venus esse Illam *binis sagittis* ictam, errasseque in corpus Ejus utrumque telum, quod etiam in conjugem destinassent; *binamque* esse in uno corpore *Parentem*, Matrem-

que Patri mistam, prolemque quam paritura esset, in unâ binis arrisuram. *Crescit* onus Palladi, cumque onere etiam Pudor; pudet Deam interesse superis: si *Deus* quis adhuc Hujus nescius esset, semireducto corpore amictaque longiori institâ cum Illo loquitur, ne obversa crimen vitiatumque ventrem proderet. Annuus fit infans, et adhuc delitescit sub Matris pectore, timet partum Dea, atque auras inclusae proli negat. Sed cum Ille ruptis saepe vinclis se vi licet tenerrimâ proripere voluit, fassa est Dea dedecus Lucinae, Filiumque anniculum enixa nomine DEJODEN vocat. Puer erat simillimus Genitrici plane ut fuit Pallas infans, mistamque habuit a nullo notam, nullusque se in Illo agnoscere potuit, nam solus unîus et totîus Parentis haeres factus est. Dedit Illum Mater Deabus humi suae lacte e *Liliis* odoriferis expresso alendum.

FABULA XXII.

Caniculus vatis factus infans.

Traditur fuisse Caniculum *quendam, qui intellexisset* loquelas *Hominum, et Domino suo audita significare potuisset; sed datum fuisse dono* Camenae, *et versum in* infantem *ab Apolline.*

Caniculus erat quidam Vatis sui Amor, multum habens de Homine Dominoque Suo, multumque de Parente: Nutus et signa et loquelas intellexit, potuitque intellectas narrare Magistro. Hanc tamen in Illo artem occuluit herus Ejus; Illumque esse Canem expertemque loquelae dixit; docuitque Illum delitias queis in Puellarum favores Se insinuaret. Ille habilior Domino trans *Virgineos* pedes adulanti caudâ currens, saepe tunicam oramque levi morsu blandoque dente traxit; saepe in fugam unam alteramque *vertit*, deinque in jocum et Sui Amorem. Callide Sibi dextras Illarum allexit, per quas ad gremium amplexumque Sibi iter fecit. Grata saepe sarcina per multum itineris intra sinus jacuit: saepe instar Comitis viam jocanti ore vanisque terroribus fefel-

lit; et saepe blanditias et oscula sua per quamcunque venustioris corporis partem vellet, dispensavit. O quam multis invidiosus erat, quamque multis rivalis, multorumque a brachiis tractus cum ab unîus Puellae venisset. Sed adhuc nescivit Virginea turba, posse Illum *loquelas* Illarum et *furta* ad Dominum suum deferre; et indicem et speculatorem Vatis Sui esse; sedensque in amplexibus osculari ideo Aures, ut propius dicta Illarum hauriret. Missus etiam ad *Heroum Ducumque* pedes mordere visus est calcem Illorum, statimque Se surripere, ne forte repercussus majus vitâ Suâ vulnus referret. Nulli tamen nocebat, totaque Ejus ira adulamen erat. At a Camena Vatis peramatus, dono et petitus et datus est: qui Munus Ejus factus nusquam Dominam incomitatam reliquit, sive ad fontes, sive ad Helicona, rursusque ad Vatem. Nympha die quodam pressit sacram Parnassi humum, habuitque Comitem hunc sub gremio mollioris graminis aut pulvini loco; illumque super hederam locavit; legitque herbas queis villos Ejus et ora et pedes circumdedit; impediitque ne abiret; et ne Phoebi igne laederetur, illum intra ulnarum suarum umbras tenuit; dixitque quod *invidendus* foret Phoebo; esseque *Infantem* dignumque qui Apollinis suique esset. Aderat forte *Phoebus*, cumque ad verba haec risisset, jocanter, *vix scio, ô Nympha una mearum!* dicit, *num Tibi sim jocus, Deusque Tuus fallar; at quicquid intra ulnas habes velim sit infans.* Nympha dum putat adhuc gremium a Cane lambi, en *infans* circum ubera Ejus jacet: qui dum primum risisset Phoebo Parenti Suo, reclinis Se rursus ad alimenta recipit. Interim pro pulvino erant *hederae, Materque* pro cinctu, *umbraque Apollinis* pro cunis: spondentque ambo Ei *fasciolas* et *vincla* et *tibiam* cum adolesceret.

FINIS LIBRI PRIMI.

NOTULAE EDITORIS.

Pag. III. l. ult. legi Typogr. pro Tybogr.

— 3. l. 24. Thetis pro Thetys, et l. 33. Thetide pro Thetyde, sed legerim, ut infra passim, Tethys et Tethy, quia Tethys, Coeli ac Terrae filia, Saturni soror, Neptuni vel Oceani uxor erat, humiditatis, qua omnia aluntur, domina, itemque numen aquarum, fluviorum et nympharum mater; Thetis autem Nerei ac Doridis filia, uxor Pelei Thessaliae Regis, et Achillis mater.

— 4. l. 14. Minyeidum pro Mineidum; l. 16. Minyae pro minyae.

— 6. l. 5. Sors sua pro Sorsua; l. 10. Dejodis pro Dejodes.

— 7. l. 17. levabat, i. e. levaret.

— 8. l. 5. deferretur pro deferreretur.

— 10. l. 29. Illam, et l. 31. Illa: sic noster; l. 4. infr. meliorem pro maliorem.

— 11. l. 3. infr. Gangis pro Ganges.

— 12. l. 6. Tuum pro ʮuum.

— 15. l. 1. insedunt (sic!), i. e. insident, vel insidunt; l. 10. at: forte legendum est ad.

— 16. l. 4. infr. Viseire pro Viserie.

— 17. l. 29. s. postes pro posses; l. 34. s. dio pro diu.

— 18. l. 11. pangitque pro pingitque; l. 16. Viseirus pro Viserius; l. 26. Supplicis pro Suplicis.

— 19. l. 28. Circae pro Circe; l. 33. Tarticanae pro Tarticanes.

Pag. 20. l. 11. Circaea pro Circeja; l. 26. sui pro fui.
— 21. l. 3. Circae pro Circe; l. 17. Paret pro Pares, ut videtur; l. 38. Erichthonem pro Erichtonem.
— 22. l. 5. Circae pro Circe; l. 9. Thetyo: lego Tityo; Tityus enim, Jovis ex Elara filius, Latonam de stupro interpellasse, deinde Jovis fulmine, vel, ut alii volunt, telis Apollinis periisse, in inferorum locis autem jecur suum, cum Luna perpetuo renascens, vulturi, vel, ut Hyginus autumat, serpenti laniandum et exedendum praebere dicitur. Cf. Ovid. am. III, 12, 25. Pont. I, 2, 41.
— 23. l. 4. 5. s. ut literas ... mitteret, et ... testaretur pro literas ... mittendi, et ... testandi.
— 27. l. 26. erumpere pro erumpendi; l. 27. avellere pro avellendi; l. 28. conjicere pro conjiciendi.
— 29. l. 18. transformatus ... transmissus pro transformatum ... transmissum.
— 30. l. 4. Lauretae pro Lauretes.
— 33. l. 19. intuitum pro intutum; l. 20. reviviscam pro rediviscam; l. 27. s. obsessum pro obfessum; l. 36. aestu pro oestu.
— 34. l. 11. reviviscere pro rediviscere.
— 35. l. 13. quae: legerim quam; l. 34. Dejodis pro Dejodes; l. 36. suum pro sui.
— 37. l. 2. Utramque pro Utrasque; l. 26. Vestae pro vestae.
— 39. l. 1. steterit pro steterir; l. 31. Orphea pro Orpheja.
— 40. l. 2. suam pro sui; l. 18. s. Orpheum pro Orpheus.
— 41. l. 29. fasque pro sasque.
— 42. l. 15. alta voce (literis italicis): legerim alta voce (literis antiquis); l. 20. Edonidas pro Eonidas: cf. Ovid. Met. XI, 70., ubi Edonidas matres, i. e. Thraciae mulieres s. Bacchas, a quibus Orpheus discerptus est; Edon enim, vel Edonus, Thraciae mons est: sic et Edonus Bacchus, Ovid. Remed. 593.
— 43. l. 12. aetatisque: legerim aestatisque.

Pag. 44. l. 18. reperiens pro repperiens; l. 32. Boeotiam pro Boëtiam; l. 2. infr. innocuis pro inocuis.

— 47. l. 4. satiaret pro satiarat; l. 6. fila pro illa, ut l. 17.; l. 16. caede pro coede; l. 7. infr. jactat pro jctaat, ut videtur.

— 49. l. 9. reliquias pro relliquias; l. 23. Tethys pro Thetys: cf. not. ad p. 3. l. 24.; l. 5. infr. Cybelae pro Cybele; l. 3. infr. buccera pro bucera.

— 50. l. 5. referretur pro referreretur; l. 22. s. facesse pro facesce.

— 53. l. 5. flagellat pro flagellatur; l. 27. Bellophroonta pro Bellophronta.

— 53. l. 27. 30. et p. 54. l. 6. Tethyos ... Tethy ... Tethyn pro Thetydos ... Thetyde ... Thetin: cf. not. ad p. 3. l. 24.

— 54. l. 1. Dolydanis pro Dolydanes; l. 14. Polycithes pro Polycethes; l. 2. infr. et p. 55. l. 14. Cybelae pro Cybele.

— 55. l. 12. unamque ... quae pro unumque ... qui; l. 13. evolvenda pro evolvendus; l. 20. carcere pro carceri.

— 57. l. 28. nihilum pro nihil; l. 4. infr. Najadibus pro Nejadibus.

— 58. l. 16. s. impraegnavit pro impregnavit.

— 60. in extremo libri exstat custos: Liber II.

Genitric. pro Genetric. p. 35. l. 6; p. 54. l. 10; p. 59. l. 11, ut recte p. 49. l. 1.

Maecen. pro Moecen. p. 1. l. 7; p. 2. l. 12.

Meridam. pro Meridian. p. 8. l. 22; p. 9. l. 13, ut recte p. 5. l. 1. p. 9. l. 32. 35. p. 10. l. 4.

Taenar. pro Toenar. p. 37. l. 11; p. 38. l. 1; p. 39. l. 1.

Comma adjeci p. 4. l. 6. ante ad et post mensam; p. 10. l. 19. post otia; p. 11. l. 23. post illâ; p. 50. l. 8. post Leones; p. 54. l. 22. ante et; p. 60. l. 21. ante illum.

ERRATA ET ADDENDA.

Pag. 3. lin. 7. pro Appollini lege Apollini.
— 21. l. 3. Circae pro Circi.
— 36. l. 8. infr. pro similiaque l. similisque.
— 51. l. 3. infr. nec: legerim nec prius.
— 53. l. 3. infr. in fugam: legerim in fuga.
— 55. l. 12. s. pro unumque ... qui ... evolvendus l. unamque ... quae ... evolvenda; l. 24. nequiebant: legerim nequibant.
— 57. l. 28. pro nihil l. nihilum.
— 58. l. 31. post Deasque adjecerim sese.

Werke von und nach Swedenborg.

In der „Verlags-Expedition" zu Tübingen:

1) Tafel, Vorwort zu den theologischen Werken Swedenborgs. 1821. Fein Pap. 15 kr., Druckpap. 9 kr.
2) Swedenborg, Lehre d. N. J. vom Herrn. Mit einer Einleitung in s. sämmtl. theolog. Werke. Uebers. v. Tafel. 1823. Schrbp. 5 fl., weiß Druckp. 3 fl., halbw. 2 fl. 24 kr.
3—6) — Lehre des N. J. von d. heil. Schrift; Lebenslehre f. das N. J.; Lehre des N. J. vom Glauben. Vom jüngsten Gericht. Uebers. v. Tafel. 1824. Schreibp. 4 fl. 30 kr., weiß Druckp. 2 fl. 42 kr., halbw. 2 fl. 12 kr.
7—8) — Enthüllte Offenbarung Johannis; und: Fortsetzung vom Jüngsten Gericht und von der geistigen Welt. Uebers. v. Tafel. 1824—31. 4 Bde. Schreibp. 17 fl. 30 kr., weiß Druckp. 10 fl. 48 kr., halbw. 8 fl.
9) — die Weisheit der Engel betr. die göttl. Liebe u. Weisheit. Uebers. v. Tafel. 1833. Schrbp. 4 fl. 30 kr., Druckp. 3 fl.
10) — Die Weisheit der Engel betr. die göttl. Vorsehung. Uebers. v. Tafel. 1836. Schreibp. 5 fl., Druckp. 3 fl. 24 kr.
11) — Himmlische Geheimnisse, welche in der Heil. Schrift ... enthalten, u. nun enthüllt sind. Bd. 1. Schrbp. 6 fl. Druckp. 4 fl. (Wird fortgesetzt).
12) — Arcana coelestia, quae in Scriptura Sacra seu Verbo Domini sunt, detecta. Ed. II. 13 Voll. 1833—42. Prachtausg. 81 fl., mittelfeine 67 fl. 12 kr., ordinäre 54 fl.
13) — Die Wonnen der Weish. betr. d. eheliche Liebe rc. Bd. I. 1843. Schrbp. 4 fl. 30 kr. Druckp. 2 fl. 36 kr.
14) [Clowes,] Einige schlichte Antworten auf d. Frage: Warum nimmst du das Zeugniß Swedenborgs an? 1826. 24 kr.
15) Tafel, Magazin f. d. Neue Kirche. I, Lief. 1—12. II, 1. III. IV. V. 1824—44. Schreibp. 21 fl. 15 kr., Druckp. 14 fl. 48 kr. (Wird fortgesetzt.) I, 3—12. auch unter dem besondern Titel: Sammlung von Urkunden betreffend das Leben u. den Charakter E. Swedenborg's. (Abth. I. II.) Schreibp. 4 fl. 36 kr., Druckp. 2 fl. 54 kr.
    II, 1. auch unt. d. Titel: Religionssystem der Neuen Kirche. Heft 1. Schreibp. 45 kr., Druckp. 30 kr.
    III, Bog. 1—24. auch unt. d. Titel: Zur Geschichte der Neuen Kirche. 1841. 2 fl. 30 kr. Bog. 25—30. auch unt. d. Titel: Samml. v. Urkunden betr. das Leben u. d. Charakt. E. Sw.'s, Abth. III. Schrbp. 1 fl. Drckp. 42 kr.
    IV, Bog. 1—33. auch unter dem Titel: Swedenborg u. s. Gegner, Thl. III. und: Swedenborg's Lehre, mit Rücksicht auf die Einwürfe gegen sie und auf die christliche Dogmatik in ihrer geschichtlichen Entwickelung, aus den Quellen dargestellt und vertheidigt, und die Unwissenschaftlichkeit und Unwahrheit der neuesten Kirchen- und Dogmengeschichte nachgewiesen. 1844. Schrbp. 5 fl. Druckp. 3 fl. 24 kr.

V. Abriß des Lebens und Wirkens E. Swedenborg's, übers. a. d. von der Gesellsch. f. Verbreit. gemeinnütz. Kenntnisse unt. dem Vorsitze des Lords Brougham herausgeg. Encyklopädie, nebst neuen Urkunden über ihn, und e. histor. Untersuch. seiner 12 Erfahrungsbeweise f. d. Unsterblichkeit der Seele, verbund. m. e. Würdig. der Berichte u. Urtheile Stilling's, Klopstock's, Herder's, Kant's, Wieland's und Anderer. 1844. fein Papier 2 fl. 24 kr. Druckpapier 1 fl. 36 kr.

16) Katechismus oder Unterricht in der Lehre der N. K. für Kinder. Entworfen unter der Leitung der General-Conferenz der N. K. in Großbrit. 1830. Schreibp. 12 kr., Druckp. 9 kr.

17) Tafel, Vergleichende Darstell. u. Beurtheil. der Lehrgegensätze der Kathol. u. Protest., m. bes. Rücks. auf Dr. Möhler u. s. protest. Gegner. Zugleich die erste Darstell. u. Begründ. der Unterscheidungslehren Swedenborg's, gegenüb. den Entstell. u. Gegensätzen in D. Möhler's Symbolik, in D. Guerike's Kirchengesch., im Christenboten, und in der Evangel. Kirchenzeitung. 1835. Schreibp. 6 fl., Druckp. 4 fl. 12 kr.

18) Unterricht vom ewigen Leben für Kinder. A. d. Engl. 1839. Velinp. 30 kr. Druckp. 20 kr.

19) Erster Religionsunterricht für Kinder. 1840. 12 kr.

20) Die Wunder des Herrn in ihrer ewigen Bedeutung erklärt. Abth. I. 1840. 24 kr.

21) Swedenborgii Itinerarium. Sect. I. II. 1840. 1844. Velinp. 1 fl. 30 kr. Druckp. 1 fl.

22) — Adversaria in Libros Veteris Testamenti. Fasc. I — IV. Velinp. 9 fl. 48 kr. Druckp. 6 fl. 36 kr.

23) — Ludus Helicon. sive Carmina misc. Ed. III. 1841. 30 kr.

24) — L. A. Senecae et P. Syri Mimi etc. selectae sententiae notis illustratae. Ed. II. Acc. Fragmenta nuper reperta. 1841. ed. Tafel. 48 kr.

25) — Camena borea s. fabellae. Ed. II. 1845. 56 kr.

26) — Diarii spiritualis P. I, 1. 2. II. III, 1. 2. IV. E chirographo ejus nunc primum ed. Tafel. 1843—45. 28 fl. 4 kr. (P. VI. ist unter der Presse.)

27) — de commercio animae et corporis, quod creditur fieri vel per influxum physicum, vel per influxum spiritualem, vel per harmoniam praestabilitam. Ed. II. 1843. 36 kr.

28) — Sapientia angelica de Div. Amore et de Div. Sapientia. Ed. II. 1843. 2 fl. 48 kr.

29) Swedenborg's Portrait, mit einem Fac-Simile seiner Handschrift, lithographirt von Helvig. 36 kr.

30) Dr. J. F. J. Tafel's Portrait, mit Facsimile, lithogr. v. Kull. 36 kr.

31) Geist des Gebetes des Herrn und der zehn Gebote in Morgen- und Abendgebeten auf jeden Tag der Woche. 1837. Velinp. 30 kr., Druckp. 18 kr.

32) Tafel, Swedenborg u. s. Gegner, od. Beleuchtung der Lehren

u. Berichte Sw.'s, gegenüb. den Entstell. u. Angriff. s. Gegner. Zugleich e. Beitr. z. Dogmatik u. Dogmengesch. Thl. I. II, 1. 2. 2te Ausg. 1841.

Thl. I. auch unter dem Titel: Die durchgängige Göttlichkeit der H. Schrift, oder der tiefere Schriftsinn, die Selbstbeglaubigung des Wortes Gottes; und die innere Unhaltbarkeit sowohl der bloß buchstäblichen, als der natürlichen u. myth. Schrifterklärung, mit bes. Rücks. auf das Leben Jesu u. die Streitschriften des Dr. Strauß. Zugleich Antw. an Dr. Steudel, 2te Ausg. 1841. 2 fl. 12 kr.

Thl. II, 1. enthält: Antwort an D. Carové, an das Theol. Literaturblatt der Allgem. Kirchenzeitung, und an D. Rheinwalds Repertorium. 1841. 54 kr.

Thl. II, 2: Antw. an das Conversations-Lexicon (bei Reichenbach) und an die Blätter aus Prevorst. Auch unt. dem Titel: Kurzer Abriß des Eigenthümlichen der Lehre Swedenborgs. 1841. 20 kr.

Thl. III.: Antwort an Diac. Hauber, Pfr. Haug, Prof. Görres, Die Evangel. Kirchenzeitung, Prof. Dr. Dorner, Prof. Dr. Hagenbach, C. F. Nanz, Fr. Barth u. Pfr. J. G. Vaihinger. Auch mit dem oben N. 15. IV. angeführten Titel. 1844. 3 fl. 24 kr.

33) Sendschreiben a. d. deutsch-kathol. Gemeinden. Zugleich ein Wort der Beherzig. f. alle Wahrheit suchenden Christen. 1845. Schrbp. 18 kr. Druckp. 12 kr.

In der „Verlags-Expedition" zu Tübingen sind folgende ältere Werke gegen baare Bezahlung, zum Theil in mehreren Exemplaren, zu haben:

1) Swedenborg, vera christ. Religio. Amst. 1771. 16 fl. 12 kr.
2) — Apocal. revel. Amst. 1766. 12 fl.
3) — De Nova Hierosolyma et ejus Doctrina coelesti. Lond. 1758. 4. 6 fl. 30 kr.
4) — De ultimo Judicio. Lond. 1758. 4. 4 fl.
5) — Arcana coelestia. 8 Voll. Lond. 1749 — 1756. 4. 350 fl.
6) — Index verborum, nominum et rerum in Arcanis coelestibus. Ex operib. ejus posthumis. Lond. 1815. 4. 6 fl.
7) — Summaria expositio doctrinae novae Ecclesiae. Amstel. 1769. 4. 6 fl.
8) — De telluribus in mundo nostro solari, quae vocantur Planetae, etc. Londini 1758. 4. 4 fl.
9) — Opera philosophica et mineralia. 3 Voll. Dresd. et Lips 1734. c. multis fig. et autoris imagine. 27 fl.
10) — Vol. I. The Principia, etc. translated by the Rev. A. Clissold, M. A. London 1845. 9 fl.
11) — The animal Kingdom, considered anatomically, physically, and philosophically, etc. translated by J. J. G. Wilkinson, P. I. II. London 1843 — 45. 22 fl.

12) — De Domino, et de Athanasii symbolo. Londini 1840. 48 kr.
13) — Doctrina Novae Hierosolymae de Charitate. Lond. 1840. 48 kr.
14) — Canones, seu integra theologia Novae Ecclesiae. Londini 1840. 48 kr.
15) — Les merveilles du Ciel et de l'Enfer et des terres planétaires et astrales. Traduit par A. T. P. 2 Tomes. Berlin 1782. 4 fl. 30 kr.
16) — The Psalms of David together with a summary exposition of the internal sense therein contained. Transl. from the Latin of Swedenborg. Lond. 1788. 4 fl. 30 kr.
17) — Continuation du dernier jugement, avec des notes. Article sur l'ame. Extrait de apocal. expl. et des Msc. de Swedenborg. Lond. 1787. 4 fl.
18) — The wisdom of angels, conc. Div. Love and wisdom. 4 fl.
19) — The wisdom of angels, conc. Divine Providence. 5 fl.
20) — The Apocalypse revealed. 2 Voll. Lond. 1791. 8 fl.
21) — Du Commerce établi entre l'ame et le Corps. Edition augmentée du discours préliminaire de Th. Hartley, [und andern Zugaben.] Londres 1785. 4 fl.
22) — Traité curieux des Charmes de l'amour conjugal dans ce monde et dans l'autre. Trad. p. Brumore. 1745. 3 fl. 30 kr.
23) — Doctrine de la Nouvelle Jerusalem touchant le Seigneur. Londres 1787. 3 fl.
24) — Du cheval blanc, dont il est parlé dans l'Apocalypse. Brux. 1820. 24 kr.
25) The New Jerusalem Journal. I. Lond. 1794. 6 fl. 30 kr.
26) Anatomie du symbole d'Athanase. Avignon 1789. 1 fl.
27) Abrégé des ouvrages d'Em. Swedenborg. Précédé d'un discours ou l'on examine la vie de l'auteur, le genre de ses écrits, et leur rapport au temps présent. Stockholm 1788. 4 fl.
28) Tafel, Geschichte und Kritik des Skepticismus und Irrationalismus in ihrer Beziehung zur neuern Philosophie, mit besonderer Rücksicht auf Hegel. Zugleich die letzten Gründe für Gott, Vernunftgesetz, Freiheit und Unsterblichkeit. 1834. Schreibp. 4 fl. 54 kr. Druckp. 3 fl. 15 kr.
29) Biblia Sacra, in linguam latinam transl. a Seb. Schmidt. (Die lateinische Uebersetzung, welche Swedenborg in der Regel beibehielt.) Argentor. 6 fl.
30) Biblia hebraica c. vers. lat. Seb. Schmidii. 1740. 12 fl.
31) Sammlung auserles. christl. Predigten auf die Festtage. A. d. Engl. 1845. 36 kr.
32) Swedenborg, Revision der bisherigen Theologie, sowohl der Protestanten als Römischkathol. Bresl. 1786. 1 fl. 12 kr.
33) An essay on the credibility of Swedenborg. Lond. 1828. 1 fl.
34) Tafel, Supplement zu Kant's Biographie ꝛc. 1845. 36 kr.